



Stadt-
bücherei
Elbing

Kroxisuz

IUS TERRESTRE NOBILITATIS PRUSSIÆ CORRECTUM.

EDITIO PRIORIBUS MULTO CORRECTIOR AUCTIORQUE,
ADJECTIS PASSIM
ALLEGATIS EX HERBURTO ET CONSTITUTIONIBUS REGNI.

GEDANI,
LITTERIS JOANNIS JACOBI PREUSSII.

MDCCXXXVI.


BIBLIOTEKA ELBLĄSKA


Stadt-
bücherei
Elbing



Lector Benevole.

Ex quo Jus Terrestre Nobilitatis Prussiæ Correctum, prima post incunabula sua vice, Thorunii Anno 1599. per Andream Cotenium, luci publicæ est donatum: iteratis aliquoties vicibus ob utilitatem præstantiamque suam singularem tempore postero typis rursus est exscriptum. Laudanda vero in hoc primo venit loco, opera Danielis Patersonii, qui Jus hoc, non duabus solum vicibus prelo Gedani subjecit, nempe Anno 1625. & 1647. sed versiones etiam, cum Polonicam, tum Germanicam, illi adjecit. Ast novum adhuc laudabili huic instituto paulo post accessit augmentum, dum idem hic labor una cum Privilegiis sic dictis Municipalibus, Anno 1685. Gedani, prodiit. Tandem denique nuperrimo modo, nempe Anno 1728. omissis saltem versionibus antea adjectis, idem hoc Jus Terrestre, atque ita uti a Majoribus conscriptum, ac a D. SIGISMUNDO III. Poloniæ Sveciæque Rege, est approbatum, ibidem integerrima fide est recusum.

Cum vero editio hæc novissima, jam sit distracta, ideoque multoties jam nova votis sit expetita, votis tuis Lector Benevole nunc annuitur, sextaque jam vice, Jus hoc Terrestre, impressum, tuis traditur usibus. Ne vero nihil prorsus novi circa novam hanc editionem præ-

ſtitiſſe videamur: Scias Lector Benevole Errata in prioribus obvia editionibus, ſtudioſe in præſenti eſſe correcta.

Adhæc acceſſerunt etiam inſuper huic editioni paſſim obſervationes atque adnotationes petitæ, partim ex Herburto, partim ex Conſtitutionibus Regni, quod non ſine ratione factum: cùm ævô noſtrô, Ordinatio Judiciorum tam Terreſtrium quàm Caſtrenſium aliquatenus immutata, Jusque ipſum anguſtioribus quòd circumſcriptum limitibus multis in locis aliquam indigeat explanationem; ut taceam praxin forenſem nonnulla ſibi vendicare, quæ ſolo uſu addiſcuntur. Inde è re viſum editionem præſentem Juris hujus, appoſitis nonnullibi notulis illuſtrare: quò, antequam Lectorem dimittam, nonnulla de Juris Terreſtris origine ac progreſſu præfabor.

Pruſſia ut ſub Crucigerorum dominiô ſuis vixit Legibus, ita facta ſub D. CASIMIRO Poloniarum Rege deditione easdem ſibi ſervavit: cùm verò variæ eſſent, An. 1476. ſingulari Diplomate ad ſolum Jus Culmenſe reducebantur, Lubecenſi, tantùm illis relicto, qui ei à ſuis incunabulis aſſveverant. Cæteri, ſive Equeſtris Dignitatis, ſive ex Civium numero, uni Juri Culmenſi obtemperabant; donec neque litibus judicandis ſufficere, neque illorum temporum conditioni convenire, videretur, ac omnes antiqui Juris correctionem expoſcerent.

Lentè procedebat opus, & Nobilitas, tum quòd moræ impatiens, tum quòd aliam ſui, aliam Civitatum rationem eſſe putabat, peculiare ſibi tandem conſtituendum jus in animum induxit.

Juris iſtius neceſſitatem in Conventu, qui ad corrigendum Jus Culmenſe An. 1558. Mariæburgum indictus erat, evincere conabatur Joannes Dzialinius Palatinus Culmenſis, & ſequentibus annis multùm de ordinandis Judiciis Terreſtribus actum. In Poſtcomitiali Conventu Culmæ An. 1580. monebat Præſul Culmenſis dandum hoc Nobilitati, ut peculiari ſibi Jus conſcribat, cùm & Civitatibus Plebiſcita concedere, indultum ſit. Cui voto, cùm Civitates etiam aſſenſum ſuum, certa ſub conditione, præbuerant, in ſequenti ejusdem anni Congreſſu Neoforenſi, primæ quaſi Juris Terreſtris exhibitæ fuêre lineæ, quarum autem examen, quòd pauci ex Equeſtri ordine aderant, ad aliud tempus remiſſum.

Multis idcircò eo fine indictis Conventibus, Thorunii tandem An. 1590. opus hoccê abſolutum. Varia interea adhuc erant, quæ aut mutari aut addi poſtulabat Equeſtris Ordo. Hinc in Conventu Graudentino dicti modò anni, iterum ad examen idem opus revocatum, cùmque ibidem usque ad ſexageſimum primum articulum ventum eſſet; cætera curæ Ablegatorum Thorunenſis & Gedanenſis Civitatum commiſſa fuerant, qui etiam, ad finiendum ac perficiendum hoc opus, rogati, totum opus in concinniorem ordinem redegêre.

Non tamen horum induſtria omnium deſideriis ſufficiebat; ſed ſperabat Nobilitas An. 1594. Thorunii ultimam huic negotio admovere manum: quòd cùm haud ſuccederet, Anno 1597. Reinholdo Heidenſteinio

ac Nicolao Niewiscinio injunctum opus tandem illud conficere, confectumque in Generali Conventu Ordinibus trutinandum exhibere. Id anno sequenti in Conventu antecomitiali Mariæburgi contigit, & in Comitiis, quæ Conventum hunc excipiebant, Regia hujus Nostri Juris successit Confirmatio; servata tamen Prussis facultate, Jus suum ulteriùs corrigendi ac augendi; modo correctum, auctumque Sacræ Regiæ Majestatis arbitrio iterum submitteretur, roburque suum inde impetraret.

Anno tandem 1599. eam, quà hodie conspicitur, Jus Terrestre formam accepit; titulô: *Jura Terrarum Prussiæ*, quem antea præfixum sibi habuit, in *Jus Terrestre Nobilitatis*, mutatô, nomenque suum Equestris Ordinis D. D. Consiliariis ac Nuntiis Terrestribus, unà cum Thorunensi Præ-Consule operi adscribentibus. Quô factô, Succamerarii Culmensis Mathiæ à Konopat, ac Thorunensis Præ-Consulis Strobandii curâ, Jus hocce Terrestre, eôdem annô typis Thorunensibus in publicum prodiit. Nec hac licet multorum annorum opera, contenta Nobilitas; aliquoties iterum manum operi admoveri, postulavit: quòd cùm Successu destitueretur, Jus præsens ad Nostram usque ætatem, in illo, in quem An. 1599. fuit redactum, ordine, immutatum pervenit.

Et hæc sunt, quæ Te Benevole Lector de Juris Correcti origine & progressu scire volui.

SIGISMUNDUS III.
DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNUS DUX LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆQUE &c. NEC NON SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE HÆREDITARIUS REX.



Significamus Præsentibus, quibus expedit, universis, quòd cum Incolæ Terrarum Prussiæ à D. D. olim Antecessoribus nostris, & à Nobis quoque Jura (quibus antehac vigore Privilegii CASIMIRIANI diversis, iisquè secum pugnantibus, utebantur) corrigendi facultatem impetrassent, Eosdem Correcturam ejusmodi super certis Capitibus (utpote Magistratibus & Judiciis, Succesſione, Dotium jure, Tutelis, Donationibus, Testamentis, Præscriptionibus, Juris Processu, aliisque nonnullis) unanimi omnium voluntate

con-

confectam, in hisce demum Comitiis, Anno 1598. *ad* 2. *Martii Varsoviæ indictis atque celebratis, tam Regni, quàm Prussiæ Ordinum consensu Nobis publicè exhibuisse, ac ut Nos quoquè eandem approbare dignaremur, illius Provinciæ nomine supplicasse. Quare supplicationi eorum uti justæ annuentes, præfatam Jurium Correcturam Regis nostri, & Comitiorum præsentium authoritate, in toto approbamus atque confirmamus: utquè secundum Leges in eâ descriptas omnia Equestris Ordinis negotia, in quibuscunquè Judiciorum subselliis, ubivis tam intra quàm extra Prussiam, posthac judicentur atquè decidantur, in perpetuum sancimus. Eo specialiter eidem Prussiæ Nobilitati reservato, ut inposterum etiam Jura ejusmodi ad Praxim duntaxat Judicialem pertinentia (modo id omnium arbitrio, atquè inprimis nostro cum permissu, fiat) corrigendi, emendandi, emendatis addendi, vel etiam immutandi, liberam semper habeant facultatem.*

SIGISMUNDUS, REX.

TITU-



TITULUS I.
DE
SUCCESSIONIBUS.



I.

IN quæcunque bona, tam mobilia, quàm immobilia, si Filii supersint, æquis sortibus Filii tantùm succedant: (a) masculis deficientibus, Filiæ.

(a) *Statutô* VLADISLAI JAGELL. *Anno* 1423. *Filiæ deficientibus Filiis ad hæreditatem bonorum immobilium admittuntur.* Herburt. fol. 158. *antiquiora Statuta Fratribus Patruelibus, ut infra annum ejusmodi hæreditatem paratâ pecuniâ redimere possent, potestatem fecerant; imò ne Filiæ mortuis aut viventibus Fratribus in hæreditatem succederent vetitum, sed sola dote contentæ essent.* vide ibidem fol. 138. tit. Virgo si Fratres &c. *&* fol. sequ. tit. Virgo a Patre &c.

2. Existentibus autem Filiis, Filiæ dotem per Parentes, dum in vivis essent, inscriptione, vel exemplô alterius Filiæ assignatam habebunt. Quæ nisi à Parenti-

bus aſſignata fuerit, per (a) Fratres & duos proximos ex parte Patris, & duos ex parte Matris, duosque Scabinos Terreſtres illius Diſtrictûs, in quo habitabunt, per Judicium Terreſtre electos, intra annum & ſex menſes aſſignari & conſtitui debebit. Interim quòad (b) elocentur, pro conditione ſua honeſtè à Fratribus educentur & exhibeantur.

(a) *Idem jubet* Conſtit. An. 1588. fol. 461. tit. O Poſazeniu Sioſtr. *Dos & provisiones ab ea, per Poſſeſſores bonorum ſine provocatione ad Evictorem ſolvatur.* ibidem fol. 467. tit. O Sioſtrach jurevictorum. *De ſecuritate dotis vide quæ ſequuntur.* Art. 7. & 8.

(b) *De educatione Sororum idem dicit proximè allegata* Conſtitutio An. 1588. vide etiam Herb. fol. 139. tit. Virgo a Patre &c. *Sine Fratrum aut proximiorum conſenſu Sorores non nubant. Virgo ad raptum ſui conſentiens dotem perdit.* Herb. fol. 140. tit. Raptor ſit infamis. *Creditores tenentur concedere habitationem decentem Sororibus innuptis Jurevictorum, quorum bona occupârunt.* Conſtit. 1588. fol. 467.

3. Quòd ſi intra annum & ſex menſes, quemadmodum ſuprà conſtitutum eſt, Dos aſſignata illis non fuerit, portiones ſuas unà cum Fratribus æquo Jure, tam in paternis quam maternis bonis habebunt.

4. Dote autem ita illis aſſignata, (a) nullum ultrà eam ſibi Jus hæreditarium, in bonis paternis vel maternis, aliorumve aſcendentium, ac etiam per aliquem ex Fratribus ſteriliter decendentem, ſi alii ex Fratribus ſuperſtites ſint, vendicare poterunt, licet nulla eo nomine renunciatio facta ſit :

(a)

(a) *Virgo à Patre dotata nihil plùs petat à Fratribus.* Herb. fol. 139.

5. Nec, ut Dos ratione decedentium Fratrum ſibi augeatur a Fratribus, petere, ſed illæ ſortes Fratrum ſteriliter decedentium, ad Fratres ſolos, aut Fratrum maſculini ſexûs liberos, qui ſupervixerint, pleno Jure devolventur.

6. Quòd ſi Fratres omnes ſteriliter decedant, Sorores earumque liberi in ſtirpes in bonis ſuccedent: Sororibus itidem, Amitis, Materteris, Avunculis, aliisque Cognatis, non tamen patruis, vel patruelibus, aliisve Agnatis, una cùm Fratribus Sorores earumque Succeſſores in ſtirpes itidem ſuccedent.

7. Nec Maritus in bonis (a) Uxoris, nec Uxor (b) in bonis Mariti, poſt mortem alterius, quicquam Juris amplius (Juribus tamen ejusmodi præteritis nihil nocendo) ſibi vendicare aut uſurpare poterunt, quàm quod ad (c) Acta publica quæcunque authentica legitimè inſcriptum ſibi docere poterunt.

(a) *Uxor Marito ſine amicis nihil inſcribat.* Herb. fol. 504. tit. Uxor.

(b) *Vidua dote & dotalitio tantùm potiatur.* Idem fol. 472. tit. Vidua dote &c. *quæ adhuc ex mobilibus & aliis accipit.* vide fol. ſequ. tit. Vidua quæ bona &c. *Dos à Marito ſupervivente jure exigitur.* idem fol. 137. tit. De Dote ſi Mulier &c. *Dos non inſcripta, & juxta antiquam conſvetudinem non reforma: ex bonis Mariti repeti non poteſt.* Idem fol. 135. tit. Dotes non inſcriptæ &c. *Dos ob priora debita Mariti perdita, & (ut dicimus) malè locata; ex Bonis incautè exſolventium, iterum petitur.*

(c) *Infra* Art. 1. Tit. 2. *notavimus, quòd actus qui vim perpetuitatis sapiunt, coram Actis Terrestribus vel Castrensibus fieri debeant.*

8. Loco verò successionis mutuæ in dimidiam partem bonorum, quæ hactenus in usu fuit, bona, quæ ad Maritum attulerit (a) dotemque & contradotem a Marito sibi inscriptam, integram habere debebit, quas ita Marito inscribere liberùm erit, nè amplius tamen, quàm dimidiam partem bonorum suorum iis oneret.

(a) *Dos modô reformatoriô inscripta, nullis posterioribus debitis* Mariti *onerari potest* Const. 1588. fol. 467. tit. O Siostrach Jurevictorum. Herb. fol. 137. tit. Dotalitia nec perlucris &c. *Dotalitia fugâ vel crimine viri non vitiantur.* Idem fol. 136. *Pro majori Securitate dotis & reformationis Statut.* SIGISMUNDI Anno 1523. & 1543. *cautum, nè Maritus bona juri reform. Uxoris suæ obnoxia sine consensu Uxoris vendere possit; cui consensui ejusdem Uxoris, duo consangvinei proximiores assistant, necesse est.* vide Herb. fol. 504. tit. Consensus Uxoris. & fol. sequ. tit. de eodem. *Usus dotis & dotalitii non nisi post mortem Viri Uxori servit* Idem fol. 137. tit. de Dote si Mulier &c. *Mulier cùm secundò nubit, ex bonis jure reformatorio possessis eximi potest.* Ibidem tit. de bonis dotalitii redimendis. *Domina reformatoria bona limitare, pro injuriis fundi agere aut respondere non potest. Dotem reformatam testamentô non legat. Reformationem si in alium transtulerit, evanescit dotalitium, & persoluta dote, bona sunt exemptibilia. Inventarium facere debet maritô mortuô. Plures reformationes habens, potest eligere quæ placet. Decenniô præscribit si non repetat bona jure reform. Reformatio tantùm in media parte bonorum inscribi debet.*

9. Et (a) Dotis quidem proprietas ad illam, hæredesque

desque ipsius pertinebit: Contradote autem ad vitæ tempora utetur, fruetur. (b) Successoribus tamen defuncti, de restitutione post mortem suam, inscriptione in aliqua bona libera, vel sua, vel fidejussorum sufficienter possessionatorum, cavere tenebitur.

(a) *Quòd usus dotis & dotalitii non nisi post mortem Viri Uxori competat: tùm quòd Vidua dote & dotalitio tantùm certisque mobilibus, si in inscriptione exprimantur, gaudere debeat.* vide art. 7. & 8. supra.

(b) Vide Herb. fol. 137. tit. De bonis dotalitii redimendis. *Vidua à Creditore (qui viâ juris accepta bona possidet) dotem & dotalitium levans, pro securitate dotalitii Fidejussorum statuere tenetur* Const. 1588. fol. 467. tit. O Siostrach Jurevictorum.

10. Advitalitium (a) etiam Jus mutuum in omnibus bonis liberum erit Conjugibus sibi inscribere. Si quæ etiam (b) nullam dotem a Marito inscriptam habuerit, quartæ tamen partis bonorum Mariti defuncti Uxor superstes usumfructum percipiet, donec ad secundas nuptias transierit.

(a) *Forma advitalitatis præscribitur* in Herb. fol. 12. & 201. *Domina Advitalitialis si circa Jus suum conservari vult, tenetur solvere bona Mariti, salva transfusione persolutorum in rem sui. Advitalitas in bonis indivisis valet. Per unum ex Conjugibus tantùm facta, est contra formam Statuti. Jus advitalitium habens pro fundo nec agere, nec citari potest, bona sub periculo Juris sui deteriorare caveat. Eadem arrendare potest. Inventarium conficere debet. Mulier inscriptionem Advitalitatis & reformationem habens ut alterutrum eligat, cogi non potest. Pecunia pro cessa advitalitate Fidejussore non eget. Hanc secundi Voti Maritus ut suam accipit, nisi pacta matrimonialia obstent.*

(b) *Olim indotatæ Mulieri 30. Marcæ ſolvebantur, aut proventus trium Marcarum in annum pendebatur, à Succeſſoribus Mariti, ſi eam Virginem duxit.* vide Herb. fol. 136.

11. Succeſſionum autem hæc erit ratio. Primò per directam lineam deſcendentes ſuccedent.

12. Itaque ſi quis decedens Filios aut Filias; ex aliis autem Filiis aut Filiabus Nepotes Neptesve, aut etiam ulteriore gradu deſcendentes reliquerit, vel etiam nullos Filios Filiasve, ſed tantùm Nepotes Neptesve, aut ulteriores, in bona Avi Aviæve in ſtirpes ſuccedant, tantùm videlicet uniuscujusq; ſtirpis poſteri accepturi, quantum ad Parentis ipſorum, ſi in vivis eſſet, ſortem pertineret.

13. Si neque Filios Filiasve, neque ab iis deſcendentes quis reliquerit, Fratres autem, vel, Fratribus non exiſtentibus, Sorores germanæ, defunctorumve Fratrum, aut Sororum liberi, deſcendentesq; extiterint, ſecundùm ea, quæ ſupra ſtatuta ſunt, in ſtirpes itidem ſuccedant.

14. Si neque per directam lineam, neque a Fratribus & Sororibus deſcendentes extiterint, proximi Succeſſores aſcendentes per directam lineam ſint, in qua linea hi gradus ſunt; Pater, Mater, Avus, Avia, Proavus, Proavia, Abavus, Abavia, cæterique omnes, qui in Jure Parentum nomen obtinent.

15. Neque deſcendentibus per directam lineam, vel a Fratribus & Sororibus, neque aſcendentibus per directam lineam ullis exiſtentibus, quarto loco cæteri vel Agnati vel Cognati, ut Patrui, Avunculi, Propatrui, Proavunculi, & ſimiles, ab iisque deſcendentes, eo, quo Pater

Pater & Avus ipſorum, ſi in vivis eſſent, Jure ſuccederent, ſuccedent, id eſt, in ſtirpes.

16. Succedere autem quisque debet in ea tantùm bona, quæ ab eo proficiſcuntur, per quem cognatione defuncto conjungitur, ut paterni propinqui in paterna bona ſuccedant, materni verò in dotem tantùm, vel bona materna.

17. Itaque ſi quis ex una tantùm Uxore liberos, aut ab iis deſcendentes habuerit, in utraque bona tam Patris quam Matris, eo, quòd ſuprà conſtitutum eſt inter Mares & Fœminas, diſcrimine conſervato, ſuccedent: Si ex pluribus Uxoribus, in paterna quidem bona conjunctim itidem ſuccedent, in materna ſeparatim, ſuæ quisque Matris.

18. Eodem modo, ſi germanum Fratrem, aut Fratre deficiente Sororem, aut ab iis deſcendentes defunctus reliquerit, itidem tam in paterna quam materna bona defuncti ſuccedant: Si conſangvineos Fratrem, Sororemve, aut ab iis deſcendentes defunctus reliquerit, in paterna defuncti bona tantùm ſuccedent, in materna autem materni propinqui defuncti, quamvis remotiores.

19. Itidem ſi uterinus Frater, Sororve, aut ab iis deſcendentes extiterint, materna tantùm bona defuncti capient, ad paterna autem paterni tantùm propinqui admittentur, etſi remotiore gradu conjuncti illis ſint. Profectitiorum autem ſeu quæſitorum bonorum defuncti, eadem ſemper conditio ſit, quæ paternorum.

20. Qui-

De Inventario. 20. Quicunque hæreditatem, aut etiam usumfructum possederit, post mortem defuncti intra mensem quatuor testibus fide dignis, suæ conditionis, adhibitis, hæredibusque, aut aliquot ex illis vocatis, Inventarium facere tenebitur: quod nisi fecerit, aut fides Inventario adhibita non fuerit, in Jus Terrestre eo nomine vocatus peremptorium terminum habebit, atque ad primam Citationem respondere tenebitur, corporaleque Juramentum præstabit, omnia bona fide in Inventarium a se relata, nihilque ex bonis defuncti à se celatum vel celari.

TITULUS II.
DE DONATIONIBUS ET TESTAMENTIS.

I.

DOnatione inter vivos (a) donare, inscribere, vendere bona sua, ad (b) Acta tamen aliqua authentica, unicuique & cui voluerit liberum erit; cùm maximè naturali libertati conveniens sit, ut quemadmodum quisque velit, re sua utatur.

(a) *Sterilibus liberam dispositionem relinquit* SIGISMUNDUS Statut. 1511. vide in additam. ad Herb. *Dari Actionem Liberis contra Possessorem bonorum, ex vi statut. de Inscriptionibus in fraudem factis; quòd si Parentes eo respectu bona alienârunt ut liberi exhæreditarentur*, censet Zawadzki in Proc. Jud. Tit. 1. fol. 9. *Statu-*

Statuta quibus innititur reperies apud Herb. fol. 193. & inter Constit. 1588. fol. 467. *Inscriptio nascituris facta, non valet.* Zaw. Pr. Jud. fol. 6. *Contractus in suo robore conserventur.* Const. An. 1726. tit. Trybunał.


(b) *Actus qui vim perpetuitatis sapiunt in Prussia coram Actis Terrestribus vel Castrensibus fieri debent.* Const. An. 1635. fol. 34. tit. Wiecznosc. & An. 1647. fol. 38. tit. Salaria. *Actus ejusmodi ad Acta proprii Districtûs Jus perpetuitatis habentia transferantur.* Const. 1588. fol. 467. tit. O Waznosci &c. *de transferendis inscriptionibus ad Acta proprii Districtûs*, vide Statut. JOANNIS ALBERTI & SIGISMUNDI in Herb. fol. 192. *Potioritas Creditorum ab Actu translatæ inscriptionis ad proprium forum, constitui debet* juxta præallegatam Const. An. 1588. & 1676. fol. 24. tit. Trybunał. *In Prussia ubi inscriptiones manuales & coram Actis Civilibus recognitæ eandem cum Terrestribus aut Castren. vim obtinent, hæc lex non invaluit.* juxta Const. An. 1726. *etiam protestationes, manifestationes relationes &c. coram Actis proprii Districtûs fieri debent in Polonia. In Prussia verò antiqua consvetudo viget.* in Constit. An. 1635. & 1647. *fundata.*

2. Testamenta autem de bonis (a) mobilibus quibuscunque, non autem de immobilibus, qui (b) factionem testamenti habuerint, condere eis liberum erit.

(a) Vide Statuta SIGISMUNDI An. 1510. & 1519. apud Herb. ubi de Testamento & Const. 1676 fol 33. tit. O Testamentach. *Dos in bonis reformata testamentô legari non potest.* Zaw. Pr. Jud. Tit. I. f. 39.

(b) *Ætas, discretio, & valetudo consideranda in faciente inscriptionem.* Herb. fol. 191. *id ipsum considerandum in condentibus testamentum.*

3. Ut firma ac legitima Testamenta sint, ad minimum





mum ipsius Testatoris sani mente ac (a) trium fide dignorum testium manibus & sigillis subscripta & obsignata esse debent: Quòd si ipse Testator scribere nesciverit, quartus testis in præsentia cæterorum nomine illius subscribat. Si etiam in Jure id Testator facere maluerit, integrum illi erit, ad Acta quæcunque authentica ultimam voluntatem suam disertis verbis profiteri, atque in Acta referendam curare, aut etiam Testamentum sua solius manu subscriptum & sigillo obsignatum, clausum ad eadem Acta offerre, cujus oblationis & traditionis actus Actis Officii inscribi debet. Morte deinde Testatoris consecuta, intra tres menses ad instantiam Officii, apud quod Testamentum depositum fuerit, vel etiam Officio id negligente, ad instantiam cujuscunque, qui interesse sua putaverit, peremptoriè Successores ad Officium citentur, ad audiendum & videndum Testamentum illud clausum, per Officium aperiri & publicari: in terminoque, sive comparuerint citati, sive non, Testamentum nihilominùs aperiatur & publicetur, atque in Acta inscribatur.

(a) *Jure Polonico non est præfixus & determinatus numerus Testium requisitus ad condenda Testamenta*, vide Herb. fol. 465. tit. De foro ac forma Testamentorum. *Juxta* Prilusii *Sententiam ad minimum quinque requiruntur.*

4. Quacunque ratione Testamentum quis condiderit, vel testibus nimirum adhibitis, vel apud Acta aliqua publica, toties, quoties visum ei fuerit, ante mortem voluntatem suam revocare, mutare, in universumque,

quod

quod visum fuerit, addere, detrahere, minuere, & vel integrum Testamentum inducere, abolereve, vel parti ejus derogare, integrum ei erit, ita, ut ad mortem cujusque voluntas ambulatoria & libera sit, semperque novissima quæque voluntas rata habeatur.

5. Si hæreditati, in quam debebat succedere, quis renunciaverit, sive Filius, sive quicunque alius, ad debita quidem solvenda, aut alia onera hæreditatis non tenebitur, bona autem omnia creditoribus dimittere debet; ac si suspicio aliqua fuerit, ex hæreditate aliquid ad illum pervenisse, à Creditore ad Judicium Terrestre vocatus, terminum peremptorium habebit, in quo corporale Juramentum præstet, nihil ex bonis defuncti se possidere, aut dolo malo possidere desiisse, quod si præstare recusârit, aut liquidum debitum, quod petetur, fuerit, ad solvendum cogatur.

TITULUS III.
DE
TUTELIS.

I.

OMnibus, (a) liberos impuberes habentibus, integrum sit, quoscunque illis videbitur, Tutores, vel Testamento, vel ad Acta quæcunque authentica constituere.

(a) *Pater, Liberis suis, & Uxori (si affectaverit) Tutores quos placuerit, constituere potest, qui post mortem ejus per Consangvineos removeri non*

non poterunt. Heib. fol. 262. tit. Minorennes in Judicio &c. *&* fol 468 tit. Pater &c.

2. Si quis nullis tutoribus relictis decesserit, Tutores legitimi sint proximi Agnati, qui nimirum masculino sexu pupillis conjuncti sint; deficientibus Agnatis, proximi Cognati, qui per Fœminam pupillos cognatione attingunt.

3. Quòd si ex linea Agnatorum, aut Agnatis deficientibus, Cognatorum pari propinquitatis gradu plures tutelam vendicare sibi voluerint, Judicium Terrestre tres ex ipsis, si tot sint, deligat, quos pupillorum rationibus magis expedire judicaverit.

4. Quòd si vel nullos Agnatos, aut Cognatos habeat, aut, si fuerint, legitimis causis à tutela se excusent, (a) Judicium Terrestre, à quocunque eo nomine appellatum, in proximis terminis terrestribus, Tutores duos aut tres idoneos, & sufficienter ibidem possessionatos, dare pupillis tenebitur.

(a) *Etiam à Rege & Judicio Tribunalitio Tutores assignari solent.*

5. In educandis pupillis, voluntatem defuncti Parentis, aut si de ea non constiterit, proximorum Agnatorum aut Cognatorum Tutores spectent.

6. Sive autem Testamentarii fuerint, sive legitimi, sive dati, tutelæ suæ administrationem à confectione Inventarii ordiantur. (a) Ad quod conficiendum, intra mensem post susceptam tutelam, Judex Terrestris loci illius, à Tutoribus requisitus, duos Scabinos in bona pupil-

pupillorum delegabit, qui confectum Inventarium manibus suis subscribant, & Sigillis muniant, quod Tutores in proximis Judiciis Terrestribus ad Acta referant.

(a) *Hujusmodi Inventarium bonorum Pupillarium & proventuum in Polonia conscribi debet à Tutoribus naturalibus, seu dativis circa apprehensionem bonorum, præsentibus Consangvineis proximioribus duobus de linea Paterna,* Constit. An. 1565. fol. 100. tit. O Opiekunach.

7. Quod si à Tutoribus prætermissum fuerit, quanti à pupillis, aut hæredibus eorum, moderatione Judicis præcedente, in litem jurabitur, tantum damni nomine præstare illis tenebuntur.

8. Confecto Inventario, res, quæ temporis tractu perituræ videantur, quàm optima conditione poterunt, quamprimùm vendent, pecuniamque ex illis redactam unà cum reliqua pecunia pupillari, ex utilitate pupilli, inque rem illius collocabunt. Si debita aliqua exstiterint, mobilia bona vendant, ex quibus ea solvant.

9. Immobilia (a) bona non nisi ex sequentibus caussis, & Decreto Judicii Terrestris, causa aliqua earum in Judicio Terrestri priùs probata, vel vendant, vel alienent, vel obligent. Causæ autem, ob quas Decreto & æstimatione Judicii accedente, alienare, aut obligare ea poterunt, hæ sint: Dotis solvendæ: Alimentorum pupillis, si aliter expediri ea non possint, constituendorum: Damna ex obligationibus aliquibus, aut usuris, si ea non explicarentur, provenientia; ad extremum, liqui-

dorum debitorum ſolutio; Extra haſce cauſas, aut etiam cùm aliqua harum cauſarum prætendetur, ſi absque Decreto Judicii veneant, Dominium non transferetur, rectèque poſtea â pupillis vindicare poterunt.

(a) *Tutor & Frater natu major non poteſt hæreditatem Pupillorum alienare, niſi fortè exigentibus debitis paternis, imò nec limitare.* Herb. fol. 164. tit. Frater, Fratris minorennis &c. & fol. 468. tit. Tutor ut nihil &c. Conſtitutione *tamen* 1588. fol. 466. tit. De minorennibus complicibus. *Tutoribus poteſtas facta, ut cùm pecuniæ paratæ, proventusque alendis Pupillis & ſolvendis debitis Paternis, ſufficientes deſint, bona (illa tamen quæ in poſſeſſione minorennium actu ſunt) parcendo litis impenſis Creditoribus tradere poſſint.*

10. Cùm plures Tutores fuerint, etſi unus tutelam adminiſtrarit, pupillis tamen hæredibusve eorum omnes conjunctim & ipſi & bona eorum in ſolidum obligata erunt.

11. Si Tutor Tutoresve ſuſpecti ſint, vel bona pupilli malè adminiſtrent, liberum erit cuicunque, vel propinquo, vel etiam alieno, qui cura pupilli tangatur, ad Judicium Terreſtre vel Palatinale eum, eosve vocare. Ac ſi ex rationibus proventuum vel certis aliis indiciis ſuſpectus fuerit, aut tutelam malè adminiſtrare reperiatur, (a) Decreto Judicii â tutela removeatur, ac ſi quid Damni ex adminiſtratione ejus ad pupillum pervenerit, præſtet, omniaque ſecundum Inventarium alteri Tutori â Judicio delecto reddere cogatur.

(a) *Vide quæ ſuprà ad Art. I. Tit. præſen. notavimus.*

12. Si

12. Si durante tutela ex Tutoribus aliquis mortuus fuerit, superstites tutelam administrent; cujusque tamen Tutoris bona, aut hæredes, non per amplius tempus tenebuntur pupillo, quàm per quod tutelam quisque gessit, ita ut suum quisque factum, aut ejus, cui in bonis successit, tantùm præstet.

13. In tutela ad (a) decimum octavum ætatis annum minorennes sint, quem cùm attigerint, in Judicio Terrestri annum ætatis probent, administratioq; rerum ad illos pertinentium à Judicio eis decernatur. Quo Decretô interpositô, Tutores omnia bona, tam immobilia, quam mobilia, eorum, in usum, possessionem & administrationem sine dilatione ulla tradere eis tenebuntur, tutelæque suæ & administrationis, tam ipsorum bonorum, quam omnium fructuum, redituum & proventuum, præsentibus duobus propinquis pupilli, rationem eis reddent. Et administratio quidem bonorum, tam immobilium, quam mobilium, mox ad eos transferetur: immobilia tamen bona, antequam vigesimum quintum ætatis annum expleverint, nisi ex iis causis, & modo, ex quibus & quo Tutores alienare ea posse suprà constitutum est, alienare nullo modo poterunt.

(a) *Juxta Statuta Regni occupant liberi masculi bona sua hæreditaria dum* 15. *Annos habent, eadem tamen, scilicet immobilia vendere seu obligare non possunt, sine consensu proximiorum Consangvineorum donec habeant Annos* 24 *transactos.* Herb. fol. 14 tit. Anni discretionis. fol. 263. tit. de Bonis &c. *&* fol. 468. tit. Tutor ut nihil &c.

14. Si

14. Si moram aliquam Tutores hac in re fecerint, ad Judicium Terrestre, aut Officium Palatinale peremptoriè citentur, quantique in litem a pupillis juratum fuerit, sine Exceptione & Appellatione ulla, damni nomine eis præstare, bonaque nihilominùs iis restituere, & (a) rationes reddere teneantur.

(a) *Olim juxta Statutum* CASIMIRI M. vide Herb. fol 468. tit. Tutor de censibus. *Tutor tantùm de censibus & jumentis indomitis rationem facere tenebatur. Quòd* per Const. An. 1565. fol. 100. tit. O Opiekunach *emendatum, & dant Tutores rationem de omnibus Bonis Pupillorum juxta inventarium: cum recusantibus forum in Judicio Terrestri.*

15. Quòd si plures Fratres fuerint, ut quisque eorum ad (a) legitimam ætatem pervenerit, ita usum sortis, saltem cujusque eorum, modo supra definito, tradere ei tenebuntur: reliquorum autem Fratrum minorennium, & sortium illorum, conjunctim cum Fratre adulto, tutelam & administrationem continuabunt. (b) Divisio autem bonorum perpetua non nisi tum fiet, cùm decimum octavum ætatis annum omnes compleverint.

(a) *De competentia annorum* vide Art. 13. tit. hujus.

(b) *Frater cum Fratre divisionem negante Forum habet coram Officio Capitanei* Herb. fol. 360. tit. de eisdem literis. *Bona vigore divisionis fraternæ 3. annis totidemque mensibus possessa, nisi causa legitima allegetur, repeti non possunt: ex divisione hujus temporis præscriptione stabilita.* Herb. fol. 134 tit. Divisio bonorum.

16. Si sumptus aliquos necessarios, vel in personam pupilli, vel in bona, vel in Judicia, vel rem aliquam ad illum

illum pertinentem Tutor fecerit: si etiam ipse, cùm ejus causa aliquò iret, aut negotia ejus gereret, aliquid insumpserit, cùm officium suum nemini damnosum esse debeat, rectè in rationes referet.

17. In universum, nihil præter dolum & latam culpam, quæ dolo proxima est, præstare Tutor debet. Itaque si, cùm ipse omnia fecerit, vel Procurator ad Judicia pupilli delectus, vel Minister ad administrationem rei familiaris, in rebus pupilli aliquid peccârit, aut fortuitus aliquis casus, qui provideri non potuerit, damni aliquid rebus pupilli attulerit, præstare id Tutor non tenetur.

18. Omnibus autem in rebus pupillus meliorem suam conditionem, etiam sine Tutorum authoritate, facere poterit, deteriorem non.

19. Quòd si pupillus, postquam ex potestate Tutoris excesserit, damnum passum se ab eodem senserit, actionem eidem ob malè administratam tutelam infrà tres annos & tres menses, (a) præscriptione inposterum obstante, instituere debebit.

(a) *Quo tempore Pupilli Actioni suæ, postquam ad legitimam ætatem pervenerunt, contra injurios præscribant, non docent Statuta Regni* Herb. fol 261. tit. Minorennes cùm annos &c. & fol. seq. Pupilli nec respondent &c. Zawadzki in Proc. Jud. Tit. 10. de præscript. *convenit cùm Jure correcto. Virgo Orphana post desponsationem sui contra Tutorem præscribit* 3. *annis & totidem mensibus.* Herb. fol. 479. *Pupilli bona per Tutores alienata nulla præscriptione obstante repetunt* Herb. fol. 468.
Minorennes in quibus casibus sine dilatione ad annos discretionis respondere tenentur. vide Herb. fol. 261 & sequ. tit. Minorennes.

D 20. Mu-

20. Mulieres (a) in aliena cura & tutela ſemper ſint, & (b) Filiæfamilias quidem in Parentum aut Fratrum, ſi adulti ſint, Tutorumque Agnatorum, vel iis non exiſtentibus, proximiorum Cognatorum: (c) Uxores Maritorum: de rebus tamen ſuis, ſive inter vivos, ſive teſtamento, Uxores cum Maritorum conſenſu, tutore adhibito, liberam diſponendi facultatem habeant.

(a) *Viduæ in Polonia Tutore non egent, quem Maritus Uxori non conſtituit, cùm illa non affectat.* Herb. fol. 468. tit. Pater liberis &c.

(b) *Verba Statuti* CASIMIRI M. An. 1368. *Interim quò ad Sorores non fuerint matrimonialiter copulatæ, earum hæreditates matrimoniales quôcunque modô vocitentur, prædicti Fratres poſſidebunt, quousq; eas nuptui tradent & dotent.* Herb. fol. 139. tit. Virgo à Patre &c. vide ſupra Tit. I. Art. 2.

(c) *Uxores maritis nihil inſcribant ſine conſenſu Amicorum*, Idem fol. 504. *Dotem reformatam teſtamento legare non poſſunt de Securitate dotis.* vide ſupra Tit. I. Art 8.

TITULUS IV.
DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

I.

SI quis rem mobilem per triennium & tres dies, id eſt, octodecim ſeptimanas; immobilem autem per triginta annos, non vi, non clâm, non alieno, ſed ſuo nomine, & titulo bonaque fide, pacificè ſineque ulla cujusquam interpellatione poſſederit, ne rerum dominia

in

in incerto ſint, dominium ejus acquirat: neque quisquam poſtea vindicare eam poterit. Quod ſi quis titulum etiam ac bonam fidem docere non poſſit, bona autem ea per longiſſimi temporis præſcriptionem, quadraginta nimirum annorum ſpacio, pacificè & ſine cujusquam interpellatione poſſederit, eodem modo Actioni vindicationive locus ampliùs non erit.

2. Quod idem etiam ad hypothecata aut obligata bona pertinere debet, niſi intra quindecim annorum decurſum, ad Acta aliqua authentica, eadem hypotheca aut obligatio renovata fuerit. (a)

(a) *Bona Terreſtria nullo jure adempta, præſcriptione non obſtante repeti poſſunt.* Conſtit. Anni 1581. fol. 373. tit. de Bonis. *&* An. 1588. fol. 460. tit. Bona. *Bona in dote dimiſſa per præſcriptionem in hæreditatem non tranſeunt.* Ibidem fol. ſequ. tit. na Dobrach. *&* Except. Maſ. An. 1576. fol. 306. *Bona per Tutorem alienata, præſcriptione non obſtante repeti poſſunt.* Herb. fol. 468. *De præſcriptione Pupillorum contra Tutorem, & Virginis Orphanæ* vide Tit. præced. Art. 19. *Bona obligata* 30. *Annorum præſcriptione in jus hæreditarium Poſſeſſoris tranſeunt, niſi fortè Hæredes continuis* 15. *Annis juri ſuo per proteſtationem caverint, aut conditio de non eximendo intra certum tempus interceſſit.* Herb. fol. 308. tit. de præſcriptione obligatæ &c. *De præſcriptione hæreditatis petendæ,* vide ibidem tit. ſequ. *Præſcriptio diviſionis fraternæ triennium & trimeſtre,* vide Tit. præced. art. 15. *Contractus venditionis, etiam pretiô non integrè numeratô trium annorum totidemque menſium præſcriptione firmatur,* Herb. fol. 307. *Præſcriptio bonorum terreſtrium contra Eccleſiam,* 60. *Anni ſunt ante litem inchoatam, niſi præſcriptioni per inſcriptionem renunciatum ſit,* exce-

exceptis fundis Ecclesiæ adjacentibus, Conſt. An. 1633. fol. 26. tit. O præskrypciy. *&* An. 1638. fol. 12. tit. Declaratio. *Spirituales actioni pro proventibus ex beneficio provenientibus decenniô præſcribunt.* Conſt. 1607. fol. 835. tit. O præskrypcyach. *Moniales in* 20. *Annis à profeſſione Religioſa præſcribunt actioni repetendæ hæreditatis*, Herb. fol. 265. *Nuptæ decenniô, Vidua ſexenniô præſcribit*, Ibidem fol. 306. & ſequ. *Pro capite & vulneribus præſcriptio trium annorum eſt*, Ibidem fol. 186. & 306. Conſt An. 1550. fol. 4. *&* An. 1588. fol. 462. *Membrorum mutilatio cum duobus teſtibus probanda, ſi integrô Anno tacuiſti*, Herb. fol. 501. *Pro furto ſi in eadem Parochia, infra annum, ſi in remotiore intra triennium actio inſtituenda*, idem fol. 174. *Pro pecoribus & jumentis vi vel furto ablatis intrà biennium*, idem fol. 308. *Pro frumento mutuato intra* 4. *annos*, idem fol. 168. *Ad Fidejuſſionem verbalem intra annum & ſex ſeptimanas agendum*, idem fol. 157. *Præſcriptio pro ſepibus malè poſitis biennium eſt*, idem fol. 396. *Kmetho profugus intra annum repetatur*, idem fol. 234. *In certis Palatinatibus tres anni*, Conſt. 1578. fol. 338. *Præſcriptio pro recenti crimine annus & ſex ſeptimanæ*, Herb. fol. 56. *Mercatores debita in regeſtris annotata à Nobilibus ante triennium petant*, idem fol. 256. *Pro expulſione fiat proteſtatio intra menſem*, Herb. fol. 364. *Pro expulſione & damnis per expulſores cauſatis intrà annum & ſex hebdomadas actio inſtituenda. Actor Succeſſoribus citati mortui cauſam intra ſimile tempus revificatoriè inſtituat, ſub amiſſione ejusdem*, Herb. fol. 8. Conſt. An. 1588. fol. 481. tit. O przypozwiech. *Actor cauſam non continuans annum & ſex ſeptimanas cauſa cadit niſi forte Judicia ſuſpenſa fuerunt.* Herb. fol. 7. Jus Corr. Tit. 6. art. penult. *ubi etiam negligens executionem rei judicatæ in ſimili tempore præſcribit. Pro male obtento proceſſu intra annum & ſex ſeptimanas agendum. Appellatio non admiſſa intra idem tempus proſequenda. Translapſus terminus renovatur per adcita-*

tionem

tionem intra idem tempus extradendam. Depositum nullam habet præscriptionem. Præscriptio & fatalia inchoando à die obitûs Regis nemini in progressibus Juris ad Annum post Coronationem novi Regis obsunt. Const. 1588. fol. 480. tit. De Præscriptione. *Præscriptio bonorum à tempore recognitæ in Actis intromissionis incipit.* Except. Mas. An. 1576. fol. 306. *Præscriptio tempore belli non currit.* Herb. fol. 307.

TITULUS V.
DE MAGISTRATIBUS ET JUDICIIS.

I.

CUm (a) Palatini ob negotia, tam Reipubl. quàm sua, vacare interdum Judiciis non possint, integrum eis erit habere Vice-Palatinos, qui quidem sint Nobiles, Indigenæ ac ibidem possessionati.

(a) *Palatini Prussiæ in Palatinatibus suis possessionati sint.* Const. 1589. fol. 515. tit. Ośiadłość.
Ut Capitanei in Regno (scilicet cum jurisdictione) & eorum Officiales sint possessionati in illis Terris ubi Officia habent. vide Herb. fol. 53. tit. Capitanei. *Possessiones Capitanei in illo Districtu in quo judicat non recenter quæsitæ esse debent* Const. 1613. fol. 33. tit. Waranek ośiadłości. *De Vice-Palatinis in Regno* vide Tit. præs. Art. 4.

2. Exercebunt autem Judicia ſingulis quatuor ſeptimanis; In Palatinatu nimirùm Culmenſi prima menſis cujusque die, durante quidem vita moderni Palatini, alternatim Neofori & Radzini; illo verò decedente, Radzini tantùm: in Mariæburgenſi, ſeptima ejusdem menſis Stumæ: in Pomeraniæ decima quarta, idque Stargardiæ, in oppido Swiecie & Tucholiæ alternatim; durante autem vita moderni Palatini etiam Skarſſeviæ; poſt deceſſum verò ipſius, (a) non niſi in tribus locis illis ſuperioribus, Skarſſevia omiſſa. Quòd ſi in diem feſtum aliquis ex diebus iſtis inciderit, die ſequenti Judicia ordiantur. A feſto autem D. Margaretæ ad feſtum Exaltationis S. Crucis, Jura prorſùs omnia ſiſtantur ac ſileant, excepta executione rerum judicatarum, & cauſis ex inſcriptione venientibus, quas ſine ulla exceptione temporis ac dilatione judicare ſemper tenebuntur.

(a) Conſtitutione An. 1611. fol. 31. tit. Xęgi. *Civitates in Palatinatu* CULMENSI *Kovalevia ſeu* Schönſee, *in* MARIÆBURGENSI *Chriſtoburgum* Christburg, *in* POMERANIÆ *verò Palatinatu Skarſzevia vulgò* Schöneck *pro locis Caſtrorum deſignatæ ſint. Hæc Caſtra per* Conſtitutionem Anni 1635. fol. 34. tit. Wieczność. *Jus perpetuitatis obtinuerunt. De transactionibus quæ vim perpetuitatis ſapiunt ad Acta Caſtrenſia vel Terreſtria transferendis,* vide infra Tit. 2. Art. 1. *in Polonia Judicia Terreſtria Caſtrenſia & Fiſci hebdomadâ unâ ante Conventus particulares ceſſant, & duabus ſeptimanis poſt Comitia Generalia reaſſumuntur,* vide Conſt. An. 1589. fol. 525. tit. Sady. *&* fol. 579. tit. Sadzenie Rokow. *excepta poſitione Actorum Terreſtrium.*

ſtrium. Capitaneus in loco conſueto & publico debitoque tempore judicet, ſub nullitate ſententiæ, Herb. fol. 55. & ſequ.

3. Judicabunt autem cauſas tantummodò (a) Civiles: Recognitiones quoque atque Inſcriptiones quascunque recipient, & rem judicatam (b) exequentur.

(a) *Præter articulos Caſtrenſes, quos* Herburtus tit. Capitaneus, fol. 54. *recenſet: ſcilicet pro violentia fœminis illata; pro depredatione Stratæ publicæ; pro incendio & immiſſione ignis; ac pro violenta invaſione domicilii alicujus. Judicant Officia Caſtrenſia etiam alias cauſas utpotè inſcriptionum liquidarum, exemptionis bonorum obligatorum, vel reformationi ſubjectorum.* Herb. fol. 284. tit. Officium Caſtrenſe. *Item exemptionis bonorum deſertorum ex quibus ſtipendia militaria perſolvi non potuerunt.* Conſtitut. Anni 1717. tit. Regulamen. *Pro exemptione bonorum Spiritualibus, Academiis, Xenodochiis obligatorum, tum pro cenſibus ex bonis obligatis ipſis debitis, forum eſt in Caſtro proprii Diſtrictûs,* Conſt. 1635. fol. 9. tit. O Wyderkaufach. *Pro decimis compoſitis,* Ibidem fol. ſequ. tit. Compoſicya. *In Diſtrictibus Leoburgenſi & Bythovienſi Capitaneus retentores decimarum & miſſaliorum ad ſatisfactionem compellere debet.* Pacta Bydgoſt. An. 1657. *Debitores decimarum aratralium, & quorumvis Eccleſiaſticorum proventuum cenſuras contumaciter ſuſtinentes Palatini in Terris Pruſſiæ ad ſatisfactionem cogant.* Conſtit. Terr. Pruſſiæ vide inter Jura Fundam. *Capitanei poſſeſſionem in eo Diſtrictu non habentes, in quo jurisdictionem exercent vigore,* Conſt. 1613. fol. 33. tit. Warunek oſiadłości, *forum habent in Caſtro. Item Cauſæ recentis criminis,* Herb. fol. 56. *Expulſionis,* Ibidem fol. 361. & 364. *Item* Conſtit. An. 1699. fol. 34. *Exdotationis & educationis innuptarum Virginum,* Conſtit. An. 1588. fol. 461. tit. O Poſazeniu Sioſtr. *Adhuc in foro Caſtrenſi decidi poſſunt, Cauſæ pro profugo ad Laudum*

Sro

Sredense per Const. An. 1633. *ad Prussos extensum*, vide etiam Const. An. 1567. fol. 136. & 1641. fol. 34. *Causa homicidii*. Herb. fol. 184. & sequ. vide Const. An. 1611. fol. 3. *Cum inpossessionatis, vagabundis licentiosis forum in Castro*. Herb. fol. 187. Const. 1611. fol. 13. *Pro captivatione privata & incarceratione Nobilis. Item pro raptu*. Const. An. 1588. fol. 462. tit. Opoimaniu, & 1607. fol. 850. tit. De raptu. *Pro iniquè extorto teloneo* Herb. fol. 450. Const. An. 1589. fol. 521. & 1677. fol. 8. *Frater Fratri divisionem negans coram Capitaneo respondebit*. Herb. fol. 360. *Cùm Tutore suspecto vel renuente calculum præstare Forum est coram Officio Palatini in Prussia*, Jus Corr. Tit. 3. Art. 11. & 14. *Ministerialis tam in Prussia quàm in Polonia pro commisso excessu coram Palatino respondere tenetur*. vide infra Art. 42. & Const. 1578. fol. 335. *in Castro respondent*. *In Judicio aut Conventu publico gladium stringentes, aliquem vulnerantes, seu occidentes, & quovis modo securitatem Judicii perturbantes*. Herb. fol. 176. Const. An. 1611. 1616. &c. Jus Correct. Tit. hôc Art. 34. *Pro abusu bombardæ* Const. An. 1557. 1581. 1616. *Conscribentes Militem sine literis consensûs Regii, aut cum consensu conscribendo, excessum committentes*. Const. 1659. fol. 8. tit. O Werbunkach. *Milites damna inferentes, & debitum executionis modum excedentes*. Const. An. 1717. fol. 58. tit. Disciplina militaris. *Christiani apud Judæos famulantes; & Judæi Christianos in servitio habentes* Const. 1565. fol. 98. *Contra Judæos tumultûs concitatores*. *Forum est in Castro pro pecore non præsentato, non autem pro damnis*. Herb. fol. 292. *Zyngarorum fautores* Constit. 1578. fol. 335. *Respondent etiam in Castro Mercatores ultra taxam constitutam vendentes, si Magistratus Civitatis Justitiam non administret*. Const. 1616. fol. 14.

(b) *Etiam in Polonia executio rei judicatæ Capitaneo seu ejus Officio incumbit*.

4. Vico-

4. Vice-Palatini in primis Judiciis, quæ habebunt, Juramentum in hæc, quæ sequuntur, verba, præsente Nobilitate, præstent, Juramentumque hoc illorum in publica Acta referatur.

Vice-Palatini in Polonia Judicium in Nobiles nullum exercent imo simul Vice-Palatini & Judices Castrenses esse non possunt, vetante Constit. An. 1633. *Pretium & mensuram rerum venalium cum Officio Capitaneol. ac Magistratu Civili, constituunt; ne per mercatores & artifices ven entes aggraventur attendunt. Judæos judicant. De Officio Vice-Palatini in Regno vide* præter Herb. fol. 285. & sequ. tit. Palatinus fol. 256. tit. Mensura. Constitutiones An. 1562. 1565. 1607. 1613. 1620. 1633. &c. *Vice-Palatini in Regno Nobiles possessionati juratique esse debent*, Constit. 1631. fol. 34. & 1633. fol. 37. tit. o Podwojewodzych.

5. Ego N. juro, quia justè secundùm Deum, Jus scriptum, æquitatem, & partium controversias judicabo, recognitionesque suscipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini discrimine sublato: Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas, aut inimicitias aliorum curabo, sed in judicando solum Deum, & Jus scriptum, æquitatem, partium controversias & recognitiones, in hisque omnibus conscientiæ meæ judicium sequar & audiam, rem judicatam fideliter exequar, aliaque negotia mihi incumbentia pro posse meo faciam: Sic me Deus adjuvet, & Sancta Christi Crux.

6. Judicia autem Palatinalia ipsi (a) Palatini, mo-

E der-

derni quidem quater in anno, ſingulis nimirùm quatuor anni temporibus, habebunt, eademqùe quatuor ſeptimanis antè publicabunt.

(a) *Capitanei per ſe judicent Capitanealia judicia.* Conſt. An. 1562. fol. 26. tit. o Sadziech.

7. Exercebunt autem illa in Palatinatu Culmenſi, Neofori: in Mariæburgenſi, Stumæ; in Pomeraniæ verò, durante vita moderni Palatini, vel Starogardiæ, vel in oppido Swiecie, vel Tucholiæ, vel Skarſſeviæ. Qui verò in poſterum (a) conſtituentur Palatini, ſingulis quibusque octo ſeptimanis Judicia habebunt, & ita quidem, ut in Culmenſi Palatinatu, Radzini ſemper habeantur; in Mariæburgenſi, Stumæ; in Pomeraniæ alternis vicibus Starogardiæ, in oppido Sviecie & Tucholiæ.

(a) *Judicia Palatinalia in iisdem Civitatibus celebrantur, in quibus & Vicepalatinalia. Vid.* tit. hòc art. 2. LEOBURGI *Supremus Capitaneus bis in anno Jus dicit, die videlicet* 18. *Menſis Junii, & eadem die Menſis Octobris.*

8. Judicare poſſunt eadem omnia, quæ & (a) Vicepalatini, ac inſuper Cauſas bannitionum, (b) invaſionis domeſticæ, & quæcunque ex præſcripto Conſtitutionum Terrarum Pruſſiæ ad illorum judicia ſpectant.

(a) *Quæ ad Judicium Caſtrenſis Officii ſpectant* vid. tit. præſent. art. 3.

(b) *De invaſione domûs* vide infra Art. 28.

9. Palatini in primis Judiciis ſuis iisdem, quibus Vicepala-

palatini, Verbis juramentum corporale, præſente Nobilitate, præſtabunt, idque juramentum ad Acta publica referetur.

10. Ego N. juro, quia juſtè ſecundùm Deum, Jus ſcriptum, æquitatem, & partium controverſias judicabo, recognitionesque ſuſcipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini diſcrimine ſublato: Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas aut inimicitias aliorum curabo, ſed in judicando ſolum Deum, & Jus ſcriptum, æquitatem, partium controverſias & recognitiones, in hisque omnibus conſcientiæ meæ judicium ſequar & audiam, rem judicatam fideliter exequar, aliaque negotia mihi incumbentia pro poſſe meo faciam: Sic me Deus adjuvet, & Sancta Chriſti Crux.

11. Judicium Cauſamve nullam Palatinus vel Vicepalatinus prorogare, diemque (a) Judiciis præfinitum proferre poterit, niſi fortè utriusque partis conſenſu & poſtulatu id fiat: Mulctas etiam nullas, niſi quæ vel jure expreſſæ ſint, vel in quas nominatim quis ſe obligavit, decernet.

(a) *Judicium Capitanei nullum eſt cum debito tempore non judicat*, Herb. fol. 56. *Judicia publicata non reclamentur*, in additam Statut. Herb.

12. Si privato cum Palatino in Cauſa ad Judicium Palatinale pertinente controverſia intercesſerit, palatinus apud vicinum Palatinum reſpondere debet, utrum Actor elegerit, is de controverſia cognoſcere, & rem judicatam exequi tenebitur.

13. Si Palatinus ejusque Vice-Palatinus Causas Officii sui statis temporibus non judicârit, decreta tam à se lata, quam ab aliis quibusvis Judiciis ad se remissa non executus fuerit, aut quo alio modo contra officium suum peccârit, metasve ejus excesserit, eo nomine ad Tribunal Regni citatus, prima vice pœnam Centum Aureorum committet, altera vice in damnis condemnabitur.

14. Notarius Palatini eodem modo Nobilis, possessionatus, juratusque sit. Quod si (a) plebejum impossessionatum habuerit, ille itidem juratus sit: factum autem ejus, si qua in re peccaverit, Palatinus præstabit de eoque conventus respondebit.

(a) *Ut Notarii Castrenses in Prussia Nobiles possessionati & ad Acta præsentes sint, jubet* Const. An. 1611. fol. 31. tit. Xięgi. *Imò & Regentes Actorum Nobiles possessionatos juratosque esse*, vult Const. An. 1647. fol. 26. tit. Regenci.

15. Judices Terrestres eligi debent in locis, conventibus particularibus destinatis; in Pomeraniæ autem Palatinatu, & Terra Michaloviensi in locis, in quibus Judicia celebrari consveverunt, ab universa Nobilitate, in Conventibus per Palatinos intrâ sex septimanas â defuncti excessu indicendis, qui quidem Judices cùm â Rege confirmati fuerint, literis Regiis exhibitis sequens juramentum præsente Nobilitate, quæ ad judicia convenerit, præstare debent.

16. Ego N. juro, quia justè secundùm Deum, jus scri-

ſcriptum, æquitatem, & partium controverſias, judicabo recognitionesque ſuſcipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini diſcrimine ſublato: Et neque favorem, neque odium, neque præmium, neque minas, aut inimicitias aliorum curabo, ſed in judicando ſolum Deum, & jus ſcriptum, æquitatem, partium controverſias & recognitiones, in hisque omnibus conſcientiæ meæ judicium ſequar & audiam, aliaque negotia mihi incumbentia fideliter & pro poſſe meo faciam: Sic me Deus adjuvet & Sancta Chriſti Crux. Quod quidem juramentum ab eis præſtitum in Acta referetur.

17. Scabini ad quævis Judicia ſint in univerſum octo numero. Cùm autem locus aliquis vacarit, tam Scabini, quàm Notarii Terreſtres ab univerſa Nobilitate, quæ ad judicia convenerit, prima judiciorum die, ſinguli in unoquoque Palatinatu, eligi debent, ita ut majoris partis judicio in electione ſtetur, electique etiam ſine Confirmatione Regia ad Officium admitti.

18. In Palatinatu autem Pomeraniæ, in quo Judicia ſeparatim in ſingulis Diſtrictibus haberi ſolent, uno autem Notario in omnibus Diſtrictibus utuntur, electio Notarii in Conventu Starogardienſi, ejus rei cauſa à Palatino poſt Notarii exceſſum intra ſex ſeptimanas indicendo, haberi debet.

19. In primis autem Judiciis Scabini ſupraſcri-

ptum: Notarii autem ſequens Juramentum præſtare debebunt:

20. Ego N. juro, quia juſtè ſecundùm Deum, jus ſcriptum, æquitatem, & partium controverſias, proteſtationes juridicas, judicis decreta, in librum Actorum Terreſtrium inſcribam; & inſcribi curabo: in judicando, conſulendo & ſcribendo ſolum Deum, & juſtitiam ſanctam, & æquitatem, partium recognitiones, controverſias, ac Judicis ſententias, in hisque omnibus conſcientiæ meæ judicium ſequar & audiam, aliaque negotia mihi incumbentia fideliter & pro poſſe meo peragam; Sic me Deus adjuvet & Sancta Chriſti Crux.

21. Eligi autem debent, tam Judices, quàm Scabini, & Notarii, in aliquo diſtrictu Palatinatus ejus, in quo judicia adminiſtrare debent, poſſeſſionati, Nobiles, Indigenæ, integræ famæ. In Palatinatu verò Culmenſi, ex Conſulari Ordine Civitatis Thorunenſis duo ſint Scabini, ſecundùm conſvetudinem antiquam, à Nobilitate modô ſupraſcripto eligendi, in numerumque octo Scabinorum referendi.

22 Ne autem, propter abſentiam Scabinorum aliquot, Judicia differantur, ſtatuimus, tr s Scabinos cujusque Palatinatû , cum Judice Terreſtri, & Notario, ad Judicia adminiſtranda obeundaque ſufficere.

23. Judicia autem Terreſtria haberi debent, in Culmenſi Palatinatu, Radzini & Thorunii bis in anno; primo feria ſecunda poſt feſtum Corporis Chriſti

Rad-

Radzini, ſecundò feria ſecunda poſt feſtum ſanctæ Hedwigis Thorunii; In Michalovienſi autem, ſeptimana una ſemper poſt Culmenſia Judicia, & alternatim Brodnicii & Neofori: In Marieburgenſi, Stumæ, primò feria ſecunda poſt conductum Paſchæ; ſecundò feria ſecunda poſt Lamperti: In Palatinatu Pomeraniæ, in ſingulis Diſtrictibus Judicia itidem haberi debebunt bis in anno; & Dirſſavienſia quidem Starogardiæ, primò feria ſecunda poſt feſtum Circumciſionis Domini; ſecundò feria ſecunda poſt feſtum S. Lucæ Evangeliſtæ: In aliis itidem Diſtrictibus, locis conſvetis, ita nimirum ut Svecenſia duabus ſeptimanis Dirſſavienſia ſubſequantur; poſt Svecenſia verò aliorum porrò Diſtrictuum una ſeptimana invicem ſe conſequantur: Quæ ſi in diem feſtum inciderint, feria proxima ſubſequente celebrentur.

(a) *Judicia Terreſtria in Pruſſia ter in Anno celebrantur vigore.* Conſt. Ao. 1638. fol. 40. tit. Sady. *idque ordine juxta præſcriptum Juris correcti, additô tertiô Judiciorum terminô, in Palatinatu* CULMENSI *Graudenti feriâ ſecunda poſt Dom. Miſericordiæ proximâ. In Terra* MICHALOVIENSI *alternatim Brodnicii & Neofori, unâ ſeptimanâ poſt Culmenſia Judicia. In* MARIÆBURGENSI *Palatinatu Stumæ feriâ ſecundâ poſt Feſtum Converſionis S. Pauli Apoſt. In* POMERANIÆ *vero Palatinatu pro Diſtrictibus Dirſchavienſi, Gedanenſi, & Neoburgenſi Starogardiæ feriâ ſecundâ poſt Feſtum S. Staniſlai Epiſcopi & M. proximâ. Hæc, Svecenſia duabus ſeptimanis ſubſequuntur, quæ reliquorum Diſtrictuum Judicia, utpote Diſtrictus Tuckolienſis Tucholiæ. Schluchovienſis Conecí, Mirachovienſis Bernæ, Pucenſis Pucii. Leoburgenſis denique*

que & Bythoviensis Districtuum unius septimanæ intervallô non obstantibus feriis comitantur, Judicia Terrestria quando in Regno ante Comitia cessant, & peractis comitiis reassumuntur. vide supra Art. 2.

24. Positio Actorum Terrestrium in singulis Palatinatibus observetur ordine subsequenti: In Palatinatu Culmensi, feria secunda post festum S. Joannis Baptistæ in Radzin: Districtu Michaloviensi ejusdem Palatinatus, feria secunda post subsequenti proxima: In Palatinatu Mariæburgensi, feria Stumæ: In Palatinatu Pomeraniæ, Starogardiæ, prima die post determinationem Judiciorum post festum S. Lucæ incidentium: similiter etiam in aliis Districtibus hujus Palatinatûs observari debet.

Positio Actorum nihil aliud est, quàm cùm à Notario seu Regente Actorum Terrestrium, destinato tempore copia datur Acta adeundi, atque ea extradendi quæ partes affectant. Cæterum positio Actorum etiam sub tempus Comitiorum fieri debet. Heib. tit. Actorum libri. Constitut. An. 1590. fol. 579. tit. Sadzenie Rokow. *De tertia positione Actorum in Prussia*, vide Const. An. 1638. fol. 40.

25. Claves cistæ, in qua libri asservantur, tres erunt, una in Judicis, duæ in Scabinorum potestate.

26. Quòd si fortè vel Judex, vel ex Scabinis iis aliquis, legali impedimento impediatur. Judex suam seniori Scabino, Scabini proximè sequenti Scabino, & consequenter, ut quisque aliquem ordine subsequitur, claves suas transmittet.

27.

27. Causas civiles Judicium Terrestre omnes judicabit.

26. Interpretantes igitur Constitutionem, quæ in violentos olim lata fuit, statuimus, ut si quis in domum, vel possessionem alterius (a) invaserit, in publicis viis insidias posuerit; vim armata manu alicui intulerit, vulneraverit, vel occiderit, ad Palatini cognitionem vis ea pertineat.

(a) *Super his convictus, sive sit Capitaneus, Nobilis, Civis aut quivis alius, juxta antiquum plebiscitum Terræ Culmensis capitali pœna puniendus,* vide Const. Terr. Prussiæ inter Jura Fundament. *Invasor* juxta Const. 1576. *Infamiâ, & confiscatione bonorum punitur. Quomodo Invasio probetur juxta Statutum.* vid. Herb. tit. Invasio domûs. *Constitutiones contra violentos & invasores latæ, etiam Thorunensibus ac Gedanensibus serviunt æquè ac Nobilitati.* vide Const. 1627. fol. 14. tit. Miasto.

29. Si verò reali aliqua injuria, ob limites controversos, agro, frumentis, & id genus similibus, damni aliquid dederit, ejusmodi Causas (a) non Palatinus, sed Judicium Terrestre judicabit, secundùmque exigentiam rei de iis decernet.

(a) *Quæ Causæ in Officio Castrensi judicantur.* vid. Tit. hôc art. 3.

30. Cùm autem libera unicuique (a) Appellatio à definitivis sententiis esse debeat, ob rem malè judicatam nullum Judicium tam Terrestre, quàm Palatinale, aut Commissariale, aut quodcunque citari debebit: poterit autem citari ob excessus & gravamina, si quæ in Of-

ficio ſuo commiſerit, ad Tribunal Regni, condemnatusque prima vice pœnam quinquaginta Aureorum Ungaricalium; ſecunda refuſionem damnorum Actori luet.

(a) *De Appellationibus vide Tit. 6.*

Ad proſequendam Appellationem etiam Judices appellari poſſunt, non autem pro damnis, Conſt. An. 1588. fol. 481. tit. de Acceſſoriis. *Retractata ſententia Judicem non infamat*, Herb. fol. 209. tit. Judices inprimis *&c.* Conſtit. An. 1726. tit. Trybunał § inquantumby.

31. Cauſa à Partibus aut Procuratoribus earum perorata, ut Judices remotis arbitris liberè ſententiam dicant, omnes, qui in judicio jurati non ſunt, ſecedere debent.

32. Arma præter gladium, acinacem, aut pugionem, quibus nimirùm conſvetudine ſua Nobilitas utitur, (a) nemo in judicium afferat.

(a) *Securitati Judiciorum cavetur* apud Herb. fol. 175. fol. 211. & ſeq. tit. Judicium. *Etiam* Conſt. An. 1611. 1616. &c. *tandem* & 1726.

33. Cum ſclopeto aut ſimili armorum genere deprehenſus quindecim Aureorum Ungaricalium mulctam dependat, neque ante ſolutionem eorum à judicio recedat, ſub alia quindecim Aureorum pœna: Ob quas quidem mulctas, ſi priore non ſoluta à judicio abceſſerit, ad Palatinum loci peremptoriè nomine judicii evocabitur, & utraque mulcta ſine Appellatione exigetur.

34.

34. Si in Judiciorum loco aliquem quis vel vulneraverit, vel occiderit, à quocunque comprehensus per Officium Palatinale capitis pœna puniatur ; si etiam evaserit, ad idem Officium Palatinale citetur, itidemque capitali supplicio afficiatur.

35. Quæcunque ex libris Terrestribus eduntur, Signo Terrestri obsignentur, quod apud Judicium esse debebit, manuque ejusdem Notarii Terrestris subscribantur.

36. Notarii tam Judicii Terrestris, quàm Palatinalis, à quibuscunque scriptis, quæ in Libros referentur, aut ex iis edentur, non majus salarium accipiant, quàm sequenti æstimatione præscribitur. A resignatione nimirum perpetua, triginta grossos: à dotalitiis & advitalitiis obligationibus totidem: ab obligatione quacunque, qua se ad dandum vel faciendum aliquis obligat, duodecim grossos: à pœna contumaciæ, à prorogatione termini seu limitatione ex consensu partium, à renunciatione Ministerialis, protestationibus, arestis judicialibus, aliisque actibus similibus, senos grossos; à sententia definitiva grossos duodenos Cujus quidem salarii tertia pars Notario, reliquæ duæ Judicio obvenire debent. Ab extractu autem ex Actis soli Notario de singulis paginis plenè ab utraque conscriptis quini grossi solventur.

Hæc æstimatio Constitutione Anni 1647 fol. 38. tit. Salaria *approbatur: ita ut Judicibus Terrestribus Castrensibus imò & Civitatibus Prussicis sub pœna* 100. *aureorum Hungar. in Tribunali Petrico-*

tr c viensi inter Causas Officii ad cujusvis instantiam vindicanda, omnis exactio ultra præsc p u n Juris correcti vetita sit.

37. Ex mulctis omnibus & parte ea salariorum, quæ à Judicio secundum superiorem Constitutionem obvenit, æqualiter Judex & Scabini inter se divident.

38. Publicorum Notariorum, qui contrariis Instrumentis sæpè causas intricabant, usu abrogato, in loco illorum Ministeriales Terrestres substituimus, qui duobus Nobilibus adhibitis, quæ judiciali denunciatione aut attestatione opus habebunt, exequentur.

(a) *Ministeriales etiam à Palatino creari possunt*, Herb. fol. 258. tit. Ministerialis. *&* fol 286. tit. Palatini soli &c.

39 Debent autem Ministeriales in primis Judiciis Terrestribus vel Palatinalibus sequens Juramentum præstare:

40. Ego N. juro, quia ex nunc & in postea fidelis ero Serenissimo Domino meo Regi &c. negotia Judiciorum mihi commissa & credita, & Citationes fideliter faciam, superque quibuscunque negociis, postquam requisitus fuero, fideliter recognoscam, non amore, odio, precio, vel favore, sed pro Deo & justitia, nec ero consentiens cuiquam malitiæ, quæ posset quoquô modò opprimere veritatem, sed omnia integrâ fide, tam in Judicio, quam extra, absque dolo peragam, recognoscam & exequar, nihilque unquam falsi committam; Ita me Deus adjuvet & omnes Sancti.

41. Si quis Ministerialem eo tempore, quo officio suo

ſuo fungitur, occiderit, vulneraverit, aut pulſaverit, eadem pœna, qua violator ſecuritatis publicæ, judiciorumve puniri debet.

(a) *Eorum Securitati cavetur*, Conſt. An. 1589. fol. 515. & An. 1726.

52. Quilibet autem Miniſterialis apud Palatinum ejus Palatinatûs reſpondere tenebitur, in quo exceſſus aliquis commiſſus ab eo fuerit.

(a) *Idem Ordinat* Conſt. An. 1578. fol. 335. tit. Woznych beſpieczenſtwo.

TITULUS VI.
DE PROCESSU IN CAUSIS CIVILIBUS.

I.

QUi in Jus aliquem vocare voluerit, ante omnia ipſe ſtandi locum in Judicio habere debet, & eum in Judicium vocare, quem convenire Jure permiſſum eſt.

2. Standi autem locum in Judicio non habent Liberi contra Parentes (a) in perſonalibus actionibus; Subditi item contra Dominum (b) & vice verſa, cùm ob poteſtatem quam quisque in ſuos habere debet, nul-

 lum

lum cum ſuis Judicium intercedere debeat. Proſcripti item & infames. (c) Muti autem, ſurdi, pupilli mulieres, mente capti, (d) conveniri quidem, & convenire poterunt, non tamen absque Tutoribus.

(a) *Vide Statuta* CASIMIRI M. *&* VLADISLAI JAGELL. *in* Herb. fol. 254. tit. Maternalia bona.

(b) *Salvus conductus contra Dominum famulis & ſubditis dari debet.* Herb. fol. 374. & ſeq. *Dominus ſervum Nobilem pro furto captivans, pœnas legum in incarcerantes Nobilem, non incurrit.* An. 1588 fol. 462.

(c) *Infames qui ſunt, vide* Herb. fol. 189 *Excommunicati & cenſuris Eccleſiaſticis innodati habent locum ſtandi in Judicio Sæculari.* Conſt. An. 1562. fol. 29. tit. O niedopuſczeniu.

(d) *Nulli mente capto Curator datur, niſi priùs ex inquiſitione per Judicium Terreſtre proprii Diſtrictûs expedienda, conſtet, aliquem verè mente captum eſſe, & tum ſalvo jure proximiorum Curator conſtituitur.* Conſt. An. 1638. fol. 32. tit. o Kuratoryach.

3. Secundum id, ut ad ſuum quemque Judicem (a) in Jus vocet, quem convenire velit, quisque attendere debebit. Si enim Pars Partem in aliud forum, aut juriſdictionem, quàm ad quam Reus pertinere docebitur, evocaverit, nulla & irrita erit.

(a) *Actor ſequitur forum Rei.*

Quæ cauſæ ad Judicium Caſtrenſe ſpectant obiter notatum tit. 5. art 3. *in Judicio verò Terreſtri (quod in Pruſſia majorem poteſtatem quàm in Polonia habere videtur) omnes cauſæ ſine diſcrimine deciduntur: Judicium Terreſtre, caſſat Teſtamenta, reſignationes, contractus, inſcri-*

ſcriptiones, aliasque transactiones: Tutores conſtituit; limitum controverſias agnoſcit: cauſas ſucceſſionum, & concurſus Creditorum judicat.

Evocans è proprio Diſtrictu pœnâ 6. Marc. Parti evocatæ & Judicio totidem ſolvenda, causâ ad proprium forum remiſſâ puniri debet, Herb. fol. 152. tit. Evocatio. *Ad improprium Judicem nemo citari debet.* Conſt. 1550. fol. 7.

Officiales Majoris Poloniæ ad Tribunal Lublinen. & Minoris Poloniæ Petricoviam, terminô tactô evocari non debent, ſub nullitate proceſſus, & pœna 500. *Marc.* Conſt. 1627. fol. 9. tit. de evocatione. *Evocatio extra Provinciam ſub pœna* 500. *Marcarum & nullitate judicati prohibetur, exceptis cauſis fiſci & raptûs.* Conſt. 1638. fol. 31 tit. de Evocatione. *Citatione in vim termini tacti Nobilis* extra Provinciam *evocari non debet*, Conſt. 1677. fol. 22. tit. Deklaracya Regeſtru. *Evocatio extra Provinciam ſub amiſſione Cauſæ & pœna* 1000. *Marc. exceptis Cauſis recentium criminum prohibetur*, Conſt. An. 1678. fol. 10 tit. Evocatio. *Anterioribus legibus reaſſumptis, ſtatuitur, ne quisquam prætenſiones ſuas, quæ in Judicio Terreſtri aut Caſtrenſi decidi poſſunt, in Tribunali etiam proprio, ſub nullitate proceſsûs, & pœnis de evocatione ſancitis, vindicet*, Conſt. 1653. fol. 18. tit. Zniesienie. *In Patronos Cauſarum præſertim Tribunalitios, per crudas citationes omiſſa competenti Jurisdictione Nobiles poſſeſſionatos prætextu violatæ ſecuritatis, convulſionis Decretorum Tribunal. vel Arianiſmi ad Tribunal evocantes, & id conſulentes pœna* 500. *Marc cum ſeſſione turris per* 12. *ſeptimanas ſtatuta* An. 1678. fol. 27. tit o Prokuratorach. *Nobiles poſt Curiam Regis citari non debent, niſi ratione bonorum liquidi Juris Regii, ſub pœna* 500. *Marc. in Tribunali vindicando* Conſt. 1598 fol. 689 tit. o pozwiech &c. *vide etiam* Conſt. An. 1631. fol. 21 tit. o Mandatach. *Quòd Civita-*

tes earumque Magistratus non habeant forum, nisi coram sacra Regia Majestate in Judiciis Post Curialibus, probant Constitutiones An. 1578. fol. 328. An. 1588. fol. 458. tit. o Kadukach. An. 1611. fol. 27. tit. Miast. *&c.* An. 1633. fol. 25. tit. o Sadach. An. 1667. fol. 12. tit. o powadze. *In Comitiis Grodnensibus* An. 1726. Constitutiones An. 1578. 1611. 1633. & 1678. *de evocatione reassumuntur, & nè Causæ Iuris Regii ad Tribunalia trahantur, sub nullitate Decretorum cavetur,* vide fol. 41. § a jako *&c.*

4. Quòd si verò Reus ultrò Judicem aut Jurisdictionem alicujus agnoverit, vel in Judicem aliquem consenserit, vel etiam obligatione, vel inscriptione sua illius Judicio se submiserit, jurique suo renunciaverit, Jus dicenti parere debebit. Si præter hæc à non suo Judice nihilominus parere jussus fuerit, quemadmodum suprà constitutum est, sententia Judicis nullius momenti erit.

(a) *Decreta in foro incompetenti lata nullius momenti esse declarantur per* Const. An. 1633. fol. 25. tit. o Sadach. An. 1638. fol. 31. tit. de Evocatione. An. 1678. fol. 10. tit. Evocatio. An. 1726. fol. 42.

Imo ejusmodi Decreta in foro competenti lata Capitanei exequi non debent. Const. 1565. fol. 102. tit. Sady Grodzkie Mazowieckie.

5. Si ad Judicium Terrestre quis aliquem vocaverit, Citationi nomen Regium (a) præponi, Actoris deinde atque Rei prænomen, & nomen, sine cujusquam contumelia, & debito cuique honore servato subjici debet:

Res

Res denique ipſa, ob quam in Judicium vocatur, in Citatione (b) breviter narrari, atque ita Sigillo, quo judicium utitur, conſignari debebit,

(a) *In Citatione ad Judicium Terreſtre ſufficit tantùm ponere de titulo Sacræ Regiæ Majeſt.* AUGUSTUS II. *DEI Gratia Rex Poloniæ &c. & non plùs.* vide Herb. fol. 325. tit Proceſſus.

(b) *Citatio in Regno Poloniæ ſupplet locum* Libelli.

6. Si ad Conventum Terrarum Pruſſiæ (a) quis evocetur, Sigillum Terreſtre Palatinatûs ejus, in quo Reus fuerit, ei applicabitur: Si ad Palatini Judicium, ipſius Palatini: Si ad Tribunal, (b) Terreſtre.

(a) *Judicia Conventûs Terrarum Pruſſiæ, jam ſunt penitùs abolita, poſtquam Nobilitas, Cauſas ſuas ad Tribunal Petricovienſe per Appellationem devolvi conceſſit* An. 1589.

(b) *Id ipſum habet* Conſt. An. 1578. fol. 331. tit. o poz wiech.

7. Nemo in Citatione, exiſtimationem aut honorem alicujus lædere, verbisque aliquibus, quibus ea lædantur, uti debet. Quòd ſi quis contumelioſa aliqua verba, ſine quibus res ipſa narrari poterat, Citatione comprehenderit, producens Citationem ejusmodi, tam Actor ipſe quàm Procurator ejus, unius ſeptimanæ Seſſione in turri (a) mox puniri debebit: Reus autem à termino & Citatione liber pronunciari.

(a) *Idem reperies in* Herb. fol. 63. tit. In citatione verba. *vide etiam* Ibid. fol. 49. tit. Calumnia.

8. Membranæ ad Citationes pro ſingulis groſſis â quocunque Judicio & Officio dentur.

9. Ad Terreſtre Judicium Citato duarum ſeptimanarum; ad Palatinale autem unius terminus (a) præfigi debet, Citatioque ea tanto tempore ante præfixum terminum per Præconem ſeu Miniſterialem, ut vocant, Terreſtrem, in bonis ejus, qui evocatur, ponetur: ſi abſens fuerit, domeſticis vel colonis inſinuetur, eisque denuncietur, in Jus Dominum vocari.

(a) *Relationes poſitæ Citationis, Judicium Terreſtre & Capitanei, duabus Septimanis: Terminos verò querelarum, ſeu illa Judicia, quæ Officium Capitanei exercet, unâ ſeptimanâ in Polonia præcedere debent.* Conſt. 1670. fol. 22. tit. o relacyach. *In Pruſſia tantùm dies poſitæ Citationis attenditur; relationem verò ordinariò ſub tempus Judiciorum Miniſteriales faciunt.*

10. Si Citatus poſſeſſiones nullas habet, vel vel ipſi per Præconem in manu Citatio tradatur, ſi Præco copiam ejus habere potuerit; vel ad valvas templi ejus loci, in quo commorari eum conſtiterit, à Præcone affigatur, vel proclametur, vel etiam Parochiæ ejus, in qua bona aliquando poſſedit, ſine præjudicio tamen ullo legitimi poſſeſſoris. *Vide* Herb. fol. 187. tit. Impoſſeſſionati *etiam* Conſt. An. 1588. fol. 465 tit. de impoſſeſſionatis.

11. Si probari in Jure poterit, Citationem à Miniſteriali vel omninò non inſinuatam, vel non legitimè inſinuatam, aut publicatam fuiſſe, illeque nihilominus diverſam relationem fecerit, per carnificem virgis publicè cædi, auribusque & naſo mutilari, & ab officio re-

removeri debet, de quo coram Officio Palatinali terminum habebit.

De Securitate ac foro Ministerialis vide Tit. præced. art. 41. & 42. *In Ministeriales falsa recognoscentes pœna cauterisationis statuitur* An. 1726. fol. 39. § na Woznych &c.

12. Quæ omnia nisi in scribendâ & insinuenda Citatione (a) observata fuerint, & Citatus vitium id in termino præfixo Judici demonstrârit, à termino & Citatione liber erit. Actori autem denuò in Jus eum vocare integrum erit, ad quam Citationem si non comparuerit, tum primùm contumaciæ condemnabitur, nisi fortè vel ex jure, vel ex sententia Judicis peremptorius is terminus fuerit.

(a) *Exceptiones contra citationem vide* infra art. 28 & 32.

13. Quòd si iterum docere possit, sibi de Citatione illa nihil constitisse, vel minùs legitimè insinuatam fuisse, ab eo etiam termino & citatione, non verò à causa, toties, quoties hujusmodi vitium intervenerit liber erit.

14. Terminus primus in nullo judiciô peremptorius sit, præterquam ii, de quibus disertè, ut peremptorii sint, Jure constitutum est, (c) aut inscriptione (b) quis se submisit; in aliis causis, in quibus peremptorius terminus disertè non constitutus est, si ad primam citationem Reus non responderit, simplicis contumaciæ tantummodò contra eum feretur Decretum, pro quo Actor Judicio & Notario sex grossos (c) numerabit.

(a) *Actori semper est terminus peremptorius* Herb fol. 6. 7. & 327.

Omnis secundus terminus est peremptorius, Ibid. fol 90 Jus Correct. art seq. *Citatio verbalis, quâ aliquis pro excessu durantibus Judiciis facto, in jus vocatur; seu terminus tactus, semper est peremptorius.* Const 1598 fol 706. *Terminum peremptorium habent causæ, pro crimine læsæ Majestatis, perduellionis. Pro impeditione Revisorum telonei. Pro violatione securitatis Lustratorum. Pro furto & dispercussione stratæ publicæ. Cum impossessionatis. Turbatoribus pacis, ac Violatoribus securitatis Judiciorum. Pro abusu bombardarum & armorum insolitorum in publicis Conventibus. Pro statuendo plebejo, vago, arma & bombardas deferente. Vide* Constit. An. 1563. fol. 41. 1567. f. 135. 1581. f. 372. 1588. f. 455. 1598. f. 706. 1601. f. 731. & 735. 1611 f. 3. 1638 f. 39. *Terminus peremptorius est in Causa pro extraditione Subditi seu Kmethonis.* Herb. fol. 239. Const. 1567. fol. 136. 1609 fol. 898. *In causa pro non amotis obstaculis in fluvio navigabili.* Herb. fol. 60. Const Anno 1598.| fol. 693. 1667. f. 21. *Pro iniquè extorto teloneo.* Herb. fol. 450. Const. An. 1589 fol. 521. An. 1677. fol. 8. An. 1667. fol. 21. *Terminus peremptorius, est in Causa Nobilis privato ausu captivati* Const. An. 1580. fol. 462. *In Causa contra illos qui duos Capitaneatus cum jurisdictione habent: & cum Capitaneis in illo Districtu in quo jus dicunt impossessionatis,* vide Const. An. 1562. fol. 23. & 1613. fol. 33. *Terminus peremptorius est in Causa hominicidii.* Herb. fol. 181. *ut & in aliis causis criminalibus. Terminus peremptorius est; Pro Inventario intra tempus non facto. Pro aperiendo Testamento circa Acta deposito. Pro rebus ex hæreditate renuntiata acceptis. Cum Tutoribus pro calculo faciendo. Cum Testibus pro deponendo testimonio citatis. In causa contra violatores limitum, aut signorum designantium limites, vide* Jus Corr. Tit 1. art. ultimò. Tit. 2. art. 3. & 5. Tit. 3. art. 14. Tit. 6 art. 37. Tit. 7. art. 24. *Est præterea terminus peremptorius, pro satisfactione & contraventione Decreto: & cùm causa ab Officio Executoriali vel ab alio Judice remittitur. Ter-*

minum peremptorium habent ad alienam Causam adcitati. Ad Judicium in vinculis adducti. In Causa objectæ ignobilitatis, aut alterius gravis infamiæ. Item pro Spolio. Raptu Deposito. Expulsione. Imò etiam in articulis Castrensibus, (quos supra Tit. 5 ad art. 3. notatos, reperies) primus terminus peremptorius esse, ordinariò decernitur. Cum militibus disciplinam lege præscriptam non observantibus primus terminus est peremptorius, Const. 1717. fol. 58. &c. &c.

(b) *Cum Successoribus ad inscriptionem non est terminus peremptorius.*

(c) *Juxta Statutum* SIGISMUNDI An. 1523. *Actor pro simplici condemnatione tantum duos grossos solvit.* Herb. fol. 104.

15. Contumaciâ eâ obtentâ, denuô modô suprâ demonstratô, & intra eosdem terminos, qui suprâ descripti sunt, Reum citet, qui ita secundô citatus, (a) tum demùm, tanquam in termino peremptorio, (b) respondere tenebitur.

(a) *Formula Citationis secundæ videri potest apud* Herb. fol. 74.

(b) *Vide* Ibidem fol. 90. tit. Condemnatio.

16. In termino secundo peremptorio si quis non steterit, Parti in causa vel lucro condemnabitur, (a) Executioque mox Actori decernetur.

Idem habet Statutum SIGISMUNDI An. 1523. ex Herb. fol. 90. *ad præcedentem art. allegatum.*

17. Si fortè Parte, aut Procuratore ejus, in loco Judicii quidem præsente, per negligentiam tamen, vel etiam aliquam justam causam non respondente, Decretum latum fuerit, ante occasum Solis arestare (a) integrum ei erit, quô quidem ita arestatô, sequente die aut

Judiciis ante omnes alias cauſas de eo cognoſcere Judicium tenebitur.

(*a*) *Actor ad acclamationem Cauſæ, quam in Regeſtrum, quod vocant ſimplex, inſcribi curavit; Decretum in contumaciam contentis citationis conveniens, Citato intereà connivente) dictat; Quod Judex infra inſcriptionem Cauſæ in regeſtro annotat, ad iteratam acclamationem Miniſterialis per partem citatem arreſtandum.*

In Polonia arreſtum Decretorum Contumacialium currit ad 23 horas, excepta ultima Judiciorum die Conſt. An. 1588. fol. 482. tit. Areſty.

18. Cùm Judicium aliquod ordinarium celebrabitur, ſive Terreſtre, ſive Palatinale, eâdem die, in quam Judicium incidit, Notarius Judicii copiam ſui facere tenebitur: ad eum Partes nomina & cauſas ſuas deferent, (a) qui Regeſtrum omnium litigantium, nulli favendo, (b) ita ut qui prior eum appellaverit, prior in Album referatur, conſcribet: idque publicè ad valvas loci, in quo Judicia celebrabuntur, proponet.

(*a*) *Inſcriptio Cauſarum in Regeſtrum ab Actoribus intra triduum fieri debet, computando à prima die, quâ Judicia proclamata fuerunt.*

(*b*) *Nititur hæc Ordinatio Statuto* CASIMIRI M. *quod vide apud* Herb. fol. 212. tit. Quis modus &c.

19. Ex eo deinde Albo eo ordine, quo inſcriptum nomen cujusque eſt, Præco præ foribus judicii alta voce ter Partes ad judicium vocabit.

Vide Satutum ad præcedentem Articulum allegatum.

20. Ac ſi quidem Reus non ſteterit, quemadmodum ſuprâ ſtatutum eſt, in primo termino contumaciæ Decre-

cre-

creto Actori condemnetur; in secundo ceu peremptorio, in ipsa causa. Si Actor non steterit, (a) in quolibet termino in evasione condemnari poterit.

(a) *Si Actor non compareat, Citatus verò terminum attentans. Si a Causa & Actione sibi instituta evadere voluerit, die tertia & non alia, ante subscriptionem Regestri, in Regestrum Causarum simplicium se inscribi curat, contra eum à quo citatus est: Clamatoque Actore & non comparente, obtinet Evasionem Cicationis & causæ cum impositione perpetui Silentii; ratione verò vexa decernitur & publicatur Banitio perpetua. Taliter condemnatus Actor cadit causâ, non tamen in omnibus causis, scilicet in causa finium regundorum & redemptionis bonorum hæreditariorum, vide* Herb. fol. 6. tit. Quæ actiones. *Item, ex praxi communi, in causis divisionis bonorum, executionis rei judicatæ, fisci, bonorum Regalium, bonorum nullo jure ademptorum, potioritatis, in quibus causis Actor absens, in evasione termini & processûs legitimè condemnatur, non autem in evasione causæ. Actores in fine Judiciorum condemnari debent sub nullitate* Herb. fol. 90. tit. Condemnatio.

21. Si utraque pars steterit, ut constare possit, legitimè Reum in Jus vocatum, (a) ante omnia Actor, si Reus id postulaverit, vel ipsum præconem, qui citationem insinuavit, statuere (b) debebit, vel relationem ejus de citatione reddita ad Acta factam, (c) ex Actis publicis proferre, quorum alterutrum nisi præstiterit, Reus à termino (d) absolvetur.

(a) *In Jus Terrestre vel Castrense legitimè vocamur per citationem literalem; & verbalem, seu terminum tactum, quas exequitur Ministerialis & non alius, vide* Herb. fol. 259. *Tenemur præterea comparere in causis ab alio Judice, vel ab Officio Executoriali remissis.*

In

In causis ad futuram cadenciam limitatis. In termino, ut dicimus, conservato, ex dilatione aliqua antecedenter concessa, proveniente. &c. Conguntur præterea in recenti crimine capti, sine citatione literali vel verbali, respondere.

(*b*) *Citatus non respondet nisi viso Ministeriali*, Herb. fol. 260. *De termino ponendæ citationis ad Judicium Terrestre vel Castrense in Prussia. vide suprà* Tit. hôc. art. 9.

(*c*) *Relatio Ministerialis, coram quibuscunque Actorum libris, de positione citationis facta, tantum valet, quantum personalis recognitio. vide.* Herb. fol. 257. *Omnes Actus qui perpetuitatem non sapiunt in quovis Judicio vel Officio Civili, in Prussia fieri possunt.* Const. An. 1635. fol. 34. tit. Wiecznosc, & An. 1647. fol. 38. Salaria.

(*d*) *Dilatio ad statuendum Ministerialem datur in omnibus causis, tam criminalibus quàm Civilibus. Actor tamen huic dilationi non satisfaciens causâ non cadit, sed Reus pro hac vice à citatione & Termino absolvitur, & habet Actor salvum jus iterum citandi.*

22. Postquam Actor Citationem legitimê insinuatam fuisse docuerit, causam, ob quam Reum in Jus vocârit, exponet, utque Judex, quod jure deberi sibi existimarit, decernat, petet, ulteriusque in causa procedetur.

23. Itaque Reus ne reconventione quidem uti poterit, sed si quid Actor ei debeat, peculiari judicio prosequi debet.

24. Antequam respondeat, liberum Reo erit, si possessionatus fortè Actor non sit, cautionem fidejussoriam ab eo postulare de expensis refundendis, quam si fortè præstare non possit, juratoriam cautionem præstabit; ac si ne eam quidem præstiterit, Reus à citatione & Termino absolvetur.

25.

Ut hic Articulus & sequens etiam in Judicio Tribunalitio in causis Prussicis observetur. jubet Const. An. 1638. fol. 40. tit. Sady.

25. Ad eundem modum Actor â Reo possessiones non habente, si ipse in Judicio comparuerit, Cautionem similem de Juri parendo, impensis, petere poterit, Reusque præstare eam tenebitur.

26. Si per Procuratorem, vel Actor, vel Reus steterit, primùm Procurator Mandatum legitimum (a) proferre debebit, aut de rato cavere, (b) quòd nisi fecerit, non admittetur.

(*a*) *Plenipotentia in Causis divisionis, expulsionis, exemptionis rei judicatæ vel executionis, item in quæstionibus hæreditariis coram Actis Terrestribus vel Castrensibus recognita requiritur in Polonia, ut habet* Const. 1616. fol. 7. tit. o Plenipotencyach. *In Prussia verò, etiam coram Actis Civilibus facta sufficit.*

(b) *Contra eum qui de rato cavet, inferri potest utrùm etiam bona ejus correspondeant Procuratores sint diligentes & fideles.* Herb. fol. 341.

Procuratores baniti vel infamiâ notati in Judicio non admittuntur. vide infra Tit. hoc art. 29. *De Patronis Causarum Tribunalitiis, vide* Const. An. 1726. fol. 41. & 42.

Accusans in criminalibus personaliter adesse debet. Herb. fol 6. *Item in termino præstandi juramenti. levandæ summæ. In termino ad cassandam banitionem, si relationem citationis coram Actis publicis non approbavit.. Et denique Minorennis, ad annos discretionis veniens, & à Tutore rationem exigens, nisi forte quempiam cum speciali mandato ad exipiendum calculum in locum suum substituerit. &c.*

27. Cautiones autem hæ, nisi ante litem contesta-

tam petitæ fuerint, lite contestata peti postea non poterunt.

28. Cautionibus hisce & satisdationibus, vel exactis, vel intermissis Reus, si quas exceptiones habuerit, sive perpetuæ eæ sint, sive temporales & dilatoriæ, (a) opponere eas poterit.

(a) *Exceptiones* perpetuæ *seu* peremptoriæ *Actionem penitus tollentes, vel perimentes sunt. Exceptio rei judicatæ. Rei solutæ.* Jurisjurandi. *doli mali. metûs, facti contra* Jura *Legesque. Rei transactæ. Incompetentis Actoris. Præscriptionum. Fataliorum Evasionis &c.*

Exceptiones temporales *vel* dilatoriæ *sunt: Exceptio declinatoria fori. vide* supra Tit. 5. art. 3. *&* Tit. hôc, art. 3.

Contra Plenipotentem seu Patronum Causæ, insufficienter inscriptum vel banitum. vide Tit. hôc art. 20. *&* 29. *Contra Cautorem & Cautionem.*

Exceptio contra Actorem bannitum & infamem, qui in Constitutionem loci standi judicio & Objicienti pœnas reponere cogitur; quæ etiam contra Citatum decernuntur, si Condemnationibus obnoxius est. Const. 1589. fol. 529. tit. Infames. *&* 1726.

Excipit Citatus Actore in causa Criminali (ut vult Statutum CASIMIRI M.) *personaliter non comparente, in quibus adhuc casibus Actoris porsonalis comparitio requiritur, vide* Tit. hôc art. 26.

Contra Citationem & positionem Citationis fit exceptio, cum Citatio verba læsiva in se habet. vide supra Tit. hôc art. 7. *Citatio super Citationem, pro una eademque re posita, cum pœna 3. Marc. cassatur.* Herb. fol. 74. *Fit Exceptio, cùm Actor suo nomine citat pro re ad plures pertinente, vel cùm non adcitavit omnes Actioni suæ obnoxios.* vide art. sequ. *Cùm Mulieres, Minorennes, Subditi, sine Mariti, Tutorum, Domini aut alia competenti assistentia citant. Fit exeeptio cùm*

cùm Fratres divisi seorsim, indivisi conjunctim non citantur. Herb. fol. 164. *Citationes criminales non scribuntur cum taxa. Potest fieri exceptio contra Citationem Castrensem, si verba* Vigore Regio *omittantur. Fit exceptio cùm* post terminos translapsos; *aut post mortem alicujus ex Citatis, revificatorie & in causa limitum omnes non adcitantur, Cùm pro profugo ad Bona Minorennium non Tutor, sed minorennes citantur: Cùm aliquis pro eadem re, à duobus Actoribus, quorum uterque ut suam vindicat, convenitur, & tunc suspenditur Causa, donec hi Actores de jure suo experiantur.* Herb. fol. 73. *Si citatio contra personam alienam, in bonis alicujus ponitur, ante decursum Anni, Actio pro deportatione citationis institui debet vigore* Constit. An. 1588. fol. 467. *Datur exceptio contra citationem si tardiùs, quàm Iure præscriptum, posita est.* vide Tit. hôc, art. 9. *Item cùm Citatio in Bonis modô obligatoriô, possessis Nobili ponitur, qui Hæreditaria habet, &c.*

Exceptio contra terminum, ut vocant simplicem, quem citatio debitè scripta ac legitimè posita constituit. Item contra terminum peremptorium, de quo suprà Tit. hôc, art. 14.

Exceptio contra Iudicem si non est adultus, integræ famæ, sed banitus vel infamis, si non est Indigena; cùm est ignobilis, impossessionatus, indebitè electus, non juratus, litis comparticeps. Fit tandem etiam exceptio contra Iudicium non completum.

His exceptionibus accedunt Dilationes seu provocationes ad Evictorem, de qua infrà art. 30. *ad Munimenta, ad visionem fundi. Dilatio pro Majori. Dilatio ad statuendum Ministerialem, quò Actor positionem Citationis legitimare possit. Dilatio ad Scrutinium vel educendæ Inquisitionis. Infirmitatis, ad competentiam annorum. Deliberatio Iudicii.*

Item Exemptiones seu Dilationes quæ Senatoribus. Nuntiis Terrestribus. Judicibus Deputatis, Commissariis, Militibus, & Officialibus ac Au-

licis Regiis ad determinatam functionem concedi debent juxta Constitutiones Regni, vide plura de dilationibus articulis sequ.

29. Si fortè extra territorium, aut districtum suum evocatum, aut aliqua alia ex causa forum ibi se non habere quis ostendat, aut si quas contra Actorem Exceptiones habeat, veluti, si ex iis sit, qui standi locum vel ipse, vel sine aliis in Judicio non habeat; si item vel non ipsi Actori, vel unâ cum illo aliis conjunctim Actio ista competat, quæ quidem Exceptio tum competet, si dividi Actio non possit, aut Actor vel aliorum nomine de rato non caveat, aut non suam partem solam persequi velit; alterutrum enim horum si fecerit, Exceptio hæc locum non habebit, contra Procuratorem item, ut si Mandatum non habeat, neque de rato caveat, aut infamiâ notatus sit, & si quæ alia in Procuratorem Jure Exceptio competit: contra Citationem & Terminum iis Exceptionibus, de quibus suprâ statutum est, uti poterit.

De exceptionibus plura habet art. præc. & sequ.

30. Ad Evictorem etiam unicuique provocare licet, si Evictionem sibi competere docuerit; quod si fecerit, Evictorem suum nominare in Judicio debet; Judicium autem secundùm rei exigentiam dilationem ei dare.

Dilatio ad conveniendum Evictorem in hæreditariis quæstionibus concedi debet: Qui Evictor, cùm personaliter comparens, onus causæ in se recipit, contra illum actio dirigi debet. Actor tamen principalem non omittit, si Evictor non fuerit solvendo judicato, Herb. fol. 151.

Si

Si Citatus documenta quibus in Judicio, probare posset, Evictorem sibi competere, ad manus non habeat; conceditur ipsi dilatio ad producenda documenta, quam deinde sequitur in alio termino Adcitatio Evictoris.

In Criminalibus & personalibus causis non conceditur dilatio ad Evictorem seu Authorem criminis. Const. 1588. fol. 465. tit. O Pomocnikach *non obstante Statuto quod vide* in Herb. fol. 151.

Causæ expulsionis, quæ juxta Constit. 1699. & 1726. *non intrando in cognitionem jurium. decidi debent, dilationem ad Evictorem non patiuntur.*

Ab oneribus perpetuis fundo annexis, emptor non evincitur. Si particula agri, ab hæreditate quam aliquis emit, per vicinum viâ juris recipiatur, evicto peti non potest, cùm Venditor non alienum, sed proprium fundum, & qui justè ac jure ab hæreditate avelli non potuit, resignâsse præsumitur; nisi forte in contractu aliter convenerunt.

Qui bona inter Fratres nondum divisa, integra emit, ad Evictorem provocare non potest.

In causa pro dote, quæ per Possessores bonorum solvenda est, dilatio ad evictorem non currit. Constit. 1588. fol. 467.

Minorennes quamvis annos legitimos nondum habeant, bona per Patrem obligata aut vendita evincere tenentur. Herb. fol. 261.

Evictori ad Evictorem suum Dilatio concedi solet.

Dilatio ad evictorem non conceditur, si non provocando ad evictorem causam suô periculô defendere cæpit.

Pro litis expensis refundendis, non datur fidejussori dilatio ad conveniendum suum Principalem.

31. Si quis etiam in controversia finium, aut simili, fundum vel limites oculis subjici (a) priùs oportuisse

docuerit; priusquam contestari eum litem Judex cogat, in rem præsentem mittet.

In causis fundum tangentibus, visio decerni debet: cui visionis actui, eadem quæ & Judicio formali securitas cavetur. Constit. An. 1588. fol 481. tit. o Dylacyach.

32 Quibus quidem & similibus exceptionibus (a) nisi ante litem contestatam quis usus fuerit, lite contestata uti iis non poterit. Judex autem, Partium controversiâ de hujusmodi exceptionibus auditâ, interloquetur, & exceptionem (b) locum habere, vel non habere, pronunciabit, secundùmque id, quod pronunciârit, Partibus, ut ulteriùs Causam prosequantur, injunget.

(a) *Exceptiones quæ ante litem contestatam inferri solent, ut & Dilationes, aliaque beneficia Juris concessibilia notantur* supra Tit. hôc art. 28.

(b) *Exceptio Rei judicatæ locum non habet, cùm Decretum in præjudicium Tertii procuratum est. cùm Decretum vim Legis sapit, si tamen aliqua satisfactione acceptatum non est.* Const. 1726. *Impugnatur etiam res judicata Documentis noviter repertis.* vide Const. eandem fol. 44. §. w Sprawach.

Exceptio rei solutæ & tractatæ, cùm post latum Decretum authentica vel manualis quietatio non producitur. Cùm res ad plures pertinens, & pluribus adjudicata, uni à reliquis interessantibus non authorisato, data est. Non obest actioni quietatio illius, cui juxta Decretum in præjudicium tertii latum, satisfactum est. Dos non locata, vel malè locata non obstante quietatione iterum peti potest. Recognitiones Minorennium, Mulierum & mente captorum sine assistentia Tutoris actionem non perimunt. Transactio in fraudem Creditorum, & priora Jura in bonis Debitoris habentium non obest.

In-

Inscriptiones quietationes aliæque transactiones ad quas aliquis vi cogitur, vel astu inducitur, si protestatione in Actis proprii Districtûs facta in tempore revocentur, nullam vim obtinebunt.

Exceptio contra Actorem cessat, cùm juris transfusio producitur, aut legitima Successio probatur.

De exceptione Præscriptionis. vide Tit. 4. *De evasione, & quando eâ obtentâ Actor causâ non cadit, reperies* Tit. hôc, art. 20.

Exceptio fori locum non habet, si Reus ultro Judicem aut Jurisdictionem alicujus, in anteriore termino non excipiendo, agnovit; vel in Judicem consensit; vel inscriptione Judicio *se submisit; vel forum ut dicimus* ubiquinarium *inscripsit.* Tit. hôc art. 4. *In citatione errans in titulo, proprio nomine, & data iterum citet, Defectus literarum, vel totius dictionis, non vitiat.* Herb. fol. 68. & 75.

Exceptione contra Terminum non attenta decernitur peremptorius, in causis ut supra Tit. hoc, art. 14.

Contra Actorem bannitum in Prussia non fit exceptio, si relationem positæ Citationis ad Tribunal Regni, objectæ condemnationi opponit. Secùs in Polonia ubi non attenta Citatione ad cassandam, Actor vel citatus bannitus. in Constitutionem loci standi pœnas arbitrarias reponere cogitur. Condemnationes, si in distincta causa plures, ex una inscriptione obtentæ sunt, non valent. Legitimè obtentæ, producta quietatione cessant; sine pœnis, quæ reconciliando Legem *abusivè decerni solebant. vide* Constit. 1726. fol. 39. *Condemnationes in foro incompetenti obtentæ, si nullam executionem merentur, vide* Tit. hôc, art. 4. *etiam objici non debent. Pœnæ in constitutionem loci standi injunctæ seorsivâ vindicantur, nec prout ante fiebat decisio causæ rejicitur ad satisfactionem.* Const. ead. fol. 47. §. rejekty.

Dilatio ad evictorem quando non admittitur habes suprà art. 30.

Dilatio ad munimenta simplicia non conceditur in causis injuriarum & cædis.

Nec

Nec Dilatio Visionis in causis injuriarum fundum non tangentibus, vide Const. 1588. fol. 481.

Dilatio pro Majori quæ vigore Const. An. 1563. fol. 31. §. mają się tedy. *in Judiciis Polonicis concedi debet, in Prussicis ndn invaluit. Hæc dilatio in una causa semel tantùm conceditur, debetque instrumento aliquo authentico probari.*

Dilatio ad statuendum Ministerialem non conceditur, nisi productæ relationi falsitas objiciatur.

Incarceratis nulla datur dilatio. Const. 1726. fol. 41.

Dilatio inquisitionis quæ in Causis facti concedi debet, in causa expulsionis post reinductionem decernitur.

Judex in una causa semel deliberet ad proxima Judicia, Herb. fol. 129.

Dilatio infirmitatis in Tribunali, in termino motionis ad 2. Septimanas conceditur. Const. An. 1588. fol. 481. tit. Prosecutio. 1647. fol 8. tit. de re judicata. *Dilatio infirmitatis tantùm in causis quæ personalem comparitionem Citati vel Actoris exigunt, concedi debet; & defertur juramentum comprobatorium Patrono causæ infirmitatem Principalis sui, allegand,* Const. 1726. f. 45.

Dilatio ad annos discretionis non conceditur, in causa evictionis bonorum per Patrem obligatorum aut venditorum. In causa exemptionis bonorum Patri obligatorum. In causa restituendæ hæreditatis adhuc cum vivente Patre cæpta. In causis complicitatis & potioritatis Juris. Item si quis pro Patre Minorennium cavit, & eo adhuc vivente, pro cautione ad Judicium vocatus fuit, tenentur Minorennes citatum Fidejussorem liberare. Taxam capitis per Patrem interempti, solvunt Minorennes, non expectando annos competentes, si Pater cùm adhuc viveret pro cæde citatus fuit. Imò & in aliis causis, exceptis fundi & limitum in quibus Pater citatus existens obiit, Minorennes sine dilatione ad ætatem, respondent. vide Herb. fol. 183. tit. Homicidia, & fol. 261. Const. 1588. fol. 466.

Exem-

Exemptiones, Suspensiones, Remissiones, quæ in causis cum Senatoribus, Ministris, Officialibus ac Aulicis Regis & Reipublicæ, tum & in causis cum Nuntiis Terrestribus & Exercitûs, ac Commissariis vigore Constitutionum Regni, in omni Iudicio fiunt. Testimonio Mareschalci Regni, Comitiorum Generalium, & Tribunalis Fisci Radomiensis, probari debet; quia excipienti & eximenti se à Judicio competebat, vide Constit. 1726. fol. 45.

Legatis Reipubl. ad Exteros Principes ad determinatam functionem concedi debet. Constit. 1659. fol. 5. tit. Ubespieczenie. & 1677.

Judex deputatus ad Tribunal Regni quamdiu in functione est, in nullo judicio nec convenire aliquem, nec conveniri potest. Secùs si accedat consensus utriusque Partis.

In causa pro violentiis sibi, Uxori, familiæ & bonis suis durante functione illatis, agere potest. Const. 1670. fol. 22.

Jus quod Judex deputatus alteri cessit, stante functione ejusdem vindicari non potest. Ibidem *vide* Const. 1726. fol. 24. §. reassumuiac.

Milites à Judicio eximuntur, cùm in Castris sunt, & Actu militant; exceptis Causis criminalibus, expulsionum, inscriptionum, ac illis, in quibus personalitas non requiritur, quam deinde exceptionem attestatione Ducis Exercitûs probare tenentur. vide Constit. Ann. 1659. fol. 20. 1661. fol. 13. 1673. fol. 15. tit. Exempty. & 1726. fol. 46.

33. Quòd si alterutra Partium Decreto eo Judicis gravatam se existimârit, in re præsenti appellare poterit.

De Appellationibus à sententia definitiva, & ab accessorio vide infra Tit. hôc, art. 44. & 47.

34. Ac si quidem Appellationi Judex detulerit, pendente Appellatione nihil innovari debebit; si frivolam

lam Appellationem Judex esse decreverit, ulteriùs in causa procedetur.

35. Quemadmodum autem Reo exceptionibus suis uti permissum, ita quod juris habet Reus in Exceptionibus, idem Actor in Replicis habere debet.

36. Si quis ad Monumenta (a) aliqua provocet, in Judicio Monumenta ea nominare, ac si quidem in Terrestri Judicio litigârint, ad sequentia Judicia dilatio illi dari debet, in quo quidem Termino si Monumenta à se nominata non produxerit, causa in totum cadet, legali tamen impedimento, comprobationeque ejus salva.

(a) *Dilatio ad monumenta simplicia, in causis simplicium injuriarum & cædis atque sangvinis non conceditur, nisi ad specifica causam perimentia:* verba Const. 1588. fol. 481. tit. o Dylacyach.

De monumentis in Judicio producendis vide art. 43. tit. hôc.

37. Tenebitur autem quilibet, cum ad Testimonium dicendum citatus fuerit, comparere, & Testimonium dicere, sub Pœna decem Aureorum Ungaricorum, subque eadem Pœna, subditos etiam suos statuere, (a) si Testimonium ab illis requiratur; quam Pœnam Judicium Terrestre, aut Palatinale, aut Commissoriale, in quo causa versabitur, mox decernere debebit, Par que à Judicio non recedendo eam Parti ac Judicio dependere, aut si eam non dependat, Judicium pro Executione ad Officium Palatinale remittere.

(a) *Ad testimonium dicendum in causa Homicidii, tenetur Citatus comparere, & subditos suos statuere sub pœna* 100. *Marc. qui rigor etiam*

ad

ad Cives Regios, & Oppidanos Spirituales ac Nobilitares extenditur in Polonia. Conſt. 1588. fol. 463. tit. o Męzoboycach.

38. Cùm autem iniquum ſit, aut ad Teſtimonium, in aliena cauſa dicendum, in longinquiorem aliquem locum, cum ſumptu & moleſtia ſua quis evocetur, liberum unicuique erit, à quo Teſtimonium exigetur, apud proximum Judicem, vel Officium, quod elegerit, ſive Terreſtre, ſive Civile, tam in Regno, quàm in Pruſſia, (a) Teſtimonium deponere, quod quidem Teſtimonium cùm ab illo Judicio obſignatum, in Judicio, in quo Cauſa vertitur, prolatum fuerit, eandem Authoritatem habebit, ac ſi in eo ipſo Judicio depoſitum fuiſſet.

(a) *Idem habet* Conſtitutio ad præced. art. *allegata.*

Teſtimonia, extra Judicium in quo cauſa principalis agitur, depoſita, in Cauſa criminali *tantùm à Teſtibus* oculatis *& citatis valent. juxta* eandem Conſt.

39. Obſervari porrò in omni Teſtimonio debet, primùm, ut Pars, cum qua lis intercedit, ad inducendum Teſtimonium in Judicium illud, in quo teſtaturi Teſtes ſint, ad minimum duabus ſeptimanis antè citetur, (a) facultasque eidem fiat Interrogationes ſuas, de quibus Teſtis interrogetur, Judicio offerendi, contra Teſtes Teſtimoniave eorum, (b) quæ ei videantur, dicendi; quod ſi fecerit, Judex unà cum Teſtimonio utriusque Partis Interrogationes & Oppoſitiones ſcripto comprehendet, atque utrique Parti, ſi id petierit, ſub Sigillo (c) edere tenebitur.

(a) *In causa facti conceditur dilatio Inquisitionis seu scrutinii, juxta contenta Citationis & protestationis, ex Testibus rei gestæ gnaris, per Partem utramque adcitandis, in proximo Judiciorum termino, educendæ; In quo tanquam peremptorio, & per anterius Decretum conservato, Partes inter se agentes, sine ulla citatione, personaliter comparent: Et communicatis sibi punctis interrogationum, juxta quas inquisitio fiet, petunt à Judicio, quatenùs ad examinandos Testes (si adcitati comparuêre, vel statuti sunt) procedat. Antequam verò Judicium Testes admittat, a Parte utraque, quòd Testes comparentes ad dicendum falsum testimonium quôvis modô non induxerit, solenne Juramentum exigit. In fundamento* Juris Correcti *hocce juramentum fieri non video; nisi fortè juxta* Const. An. 1588. *ubi de scrutinio in causa homicidii.*

(b) *Fit exceptio contra Testes, si in Causa homicidii numerô 12. non inducantur. Si invasio Domûs cum 18. Testibus, & mutilatio membrorum post præscriptionem unius anni per duos Testes non probetur.* Const. ad præced. art. allegata, & Herb. fol. 206. 501.

Testes si non sunt jurati. vide infra Tit. 42. *de juramento Testium.*

Non admittuntur Testes consangvinei, exceptis causis probationis Contractûs & venditionis. Herb. fol. 466. *Nec in causa objectæ ignobilitatis consagvinei excluduntur.* Const. 1601. fol. 736.

Si Testi excommunicatio, & in causa limitum ignobilitas objiciatur, vide Herb. tit. Testis.

Testes infames, baniti, minorennes & facti complices &c. non admittuntur.

De exceptione contra Testimonia. vide art. 43. Tit. hôc.

(c) *Hôc loeô notandum: quòd Inquisitiones seu scrutinia non tantùm sub Sigillo extradi debent, sed intelligitur ut ejusmodi testimonium seu in Civili seu alio quovis Judicio præstitum, sub occluso rotulo, nè scilicet Pars legere & scire queat argumenta depositionis; rejiciuntur enim in*

omni

omni Judicio cùm aperta producuntur. Eductum Scrutinium in rotulo obsigillari debet, juxta Constit. 1588. tit. o Męzoboycach.

40. Si Pars citatâ in termino non steterit, Testimonia nihilominus recipiuntur, Partique producenti edentur, liberâ tamen facultate alteri Parti relicta, cùm apud Judicem causæ prolata fuerint, si, quæ contra testes aut testimonia dicat, habuerit, apud Judicem causæ ea opponendi.

41. Si etiam Testis aliquod proximum Judicium sibi elegerit, (a) ad quod Pars citari (b) aut venire non potuerit, Testimonium nihilominus recipietur, salva contradictione, si quam habeat, alterius Partis, apud Judicem Causæ.

(a) *De Testimonio in proximiori Judicio deponendo, vide* supra Tit. hôc art. 38.

(b) *Quòd Testis coram viciniori Judicio, testimonium suum depositurus Partem citare debeat, non præscribit* art. 38. Tit. præsent. *nec* Constitutio *ibi, & ad sequentem articulum allegata.*

42. Ne autem facilè homines ad perjuria labantur, quilibet Judex, apud quem Testimonium aliquod deponitur, causam scientiæ interrogare Partibus absentibus Testem debet, de ætate præ
tereà ipsius, hora, loco, & tempore, tum an ipse rei gestæ interfuerit, an ab aliis eam cognoverit, aliaque, quæ ad indagandam rei veritatem pertinere videbuntur, inquiret. Quò meliùs etiam liquere de veritate testimonii possit, utrique sive etiam alterutri Parti, si altera id facere neglexerit, liberum erit,

I 3 capi-

capita certa, de quibus Testis interrogetur, Judici offerre; Judici autem secundùm ea testem examinare incumbet. Ad quæ, sive à Judice, sive à Parte proposita, si ita Testis responderit, ut rem ei notam aut cognitam fuisse, verisimiliter advertere possit, ad Juramentum eum admittet, si spontè in ea jurare voluerit! sin secus Juramentum (a) ei non deferet; dicta nihilominus ejus conscripta sub Sigillo Parti petenti edet.

(a) *Testes seorsim examinantur, quorum depositiones juramento non comprobatæ hodie in Judicio non valent. Quamvis* Constit. Ann. 1588. fol. 463. 1667. fol, 6. *&* 1670. fol. 29. *tantùm in causis homicidii, & aliis criminalibus, item in causis violatæ securitatis Senatorum, Nuntiorum Terrestrium, aliorumque in functione publica existentium & in causis limitum, à Testibus, juramentum exigant.*

43. In termino Monumentorum producendorum Pars, quæ ad ea provocârit, sine ulla dilatione aut exceptione, sub amissione Causæ exhibere ea tenebitur; Quod cùm fecerit, vel Testimonia produxerit, Judex alteri parti mox in Judicio ea publicabit, potestatemque, si quis contradicere velit, ea refutandi (a) ei faciet; quod cùm fecerit, ad definitivam sententiam Judex procedet, nisi fortè ad alia Instrumenta & Testimonia ipse etiam Actor provocet; tum enim, quantum temporis uni Parti ad Instrumenta Testimoniave sua producenda tribui debere suprà statutum est, tantundem, & eâdem conditione, alteri quoque Parti tribuetur. Quæcunque deinde Pars fidedigniora Instrumenta & Testimonia protulerit, secundùm eam Judex pronunciabit.

Sim-

Simplici verò affirmatione aut negatione, etiam si ad Juramentum quis se offerat, contra Instrumenta & Testimonia nemo niti poterit, neque cuiquam, contra Testes & Instrumenta sine ullis instrumentis aut Testibus nitenti, Juramentum Judex decernet. Si autem ab utraque Parte Instrumenta & Testes fuerint, erit in potestate Judicis, ei Parti, quæ fidedigniora documenta produxerit, ut in supplementum ea confirmet, Juramentum (b) injungere. Actore autem nudis verbis tantùm litem prosequente, nuda ejus affirmatio nuda Partis conventæ negatione elidetur.

(a) *Refutatio testimoniorum hodie non practicatur. Judex enim auditis controversiis, Depositiones Testium juratorum, Partibus* (*ut* art. præced. *habet*) *absentibus seorsim inductorum connotatas, & in occluso rotulo Parti utrique ad manus datas, reponere mandat, omnibusque qui in Judicio jurati non sunt, recedere jussis* (*vide* supra Tit. 5. art. 31.) *nullam amplius contradictionem admittendo, Testimonia reserat. Quibus, sine publicatione, lectis; Iis tamen, quæ per Testes legitimè per Partem exceptos* (*vide* supra art. 39.) *facta sunt, & sine juramento Deponentis, connotari solent, non attentis, sententiam dicit.*

Fit tamen exceptio in genere contra Testimonia; Si in Causa criminali non per Judicem (*ut vult* Const. 1588. fol. 463) *audita sunt. Solent enim Judices cum multitudine causarum impediuntur, alicui alteri de cujus bona fide supponunt, Officium inquisitionis committere, hoc quamvis abusivè fiat, in causis tamen minoris momenti, non attenditur.*

Si Testimonia Sigillo judicii, coram quo deposita sunt, non obsigillata reponuntur, vel si Sigillum violatum esse constet.

Si denique aliqua Partium, juramentum super incorruptos Testes non præstitit, fit exceptio.

In-

Inquisitiones juxta quas Decretum latum est, cùm appellatio admissa intercessit, Judex subscribit, & Partibus in occluso rotulo sigillô publicô firmatas reddit, ad judicium Tribunalitium comportandas. Secùs fit, si appellationi non est dilatum, aut Partes decisioni acquievêre.

(b) *Actor circa documentum propior est ad juramentum.*

Actor damna comprobat per juramentum. Herb. fol. 299.

Actor super proprium laborem propior est ad comprobandum juramento.

Idem si non in tempore pro subdito agit, jurat quòd de illo priùs nesciverit.

In causa homicidii, unus tantùm juramentô Actoris convincitur. Herb. fol. 179. *Homicidæ juramento Actoris & sex testium genere similium convinci solent.*

Actor vulnera cum duobus testibus sibi similibus juratoriè comprobat. Herb. fol. 500.

Etiam mutilationem membri, si elapsô annô non egit. Ibidem fol. sequ.

Actor juramento convincit citatum pro furto non integrè reddito. Ibid. fol. 174.

Extinctorem candelæ Actor vulneratus juramento convincit. Ibid. fol. 503.

Contra Invasorem domûs Actor metseptimus jurat. Ibid. fol. 206.

Fidejussor illum pro quo cavit juratoriè convincit, si is debitum negat. Ibid. fol. 157.

Pro deposito Actor jurat, cùm Citatus depositum negat. Propior verò Citatus ad juramentum si depositum apud se fuisse agnoscat, sed se non causante furto ablatum esse infert.

Pro deportatione citationis serò agenti, defertur juramentum quòd de citatione in bonis suis posita ignoraverit. Const. 1588. fol. 467.

Mulieres in causa violationis vel oppressionis, si signa adsint juramento oppressorem convincunt. Si verò Signa non sint Citatus evadit cum sex Testibus per juramentum. Herb. fol. 55.

Depactatores in Cancellaria juramento Actoris convincuntur. Const. 1726. fol. 36.

Dam-

Damna per milites illata comprobat Actor per juramentum. Conſt. 1717. tit. Diſciplina milit.

Pupillis defertur juramentum contra Tutores, vide ſuprà Tit. 3. art. 7. *&* 14.

Actor cui jumentum occiſum eſt jurat ſuper taxam. Herb. fol. 226.

Actor litis expenſas juramento probat. Conſt. 1565. fol. 100. *vide* Jus Corr. Tit. hôc, art. 59. *ubi de litis impenſis.*

Citatus pro ſpolio in via die forenſi facta, cum 12. *Teſtibus juramento ſe expurgat.* Herb. fol. 427.

Homicidium in defenſione vitæ committens, & præſertim in via, cum ſex Teſtibus jurando evadit. Idem fol. 180. Conſt. 1588. tit. o Męzoboyſtwie.

Citatus in objecta falſificatione monetæ, cum 18. *Teſtibus ſibi genere ſimilibus, bonæ famæ, juramento ſe purgat.* Herb. fol. 269. tit. Si quis inculpatur.

Wladarius ſeu famulus metſeptimus jurando ſe expurgat, Ibid. fol. 399.

In cauſa pro furto apum, ſi Actor teſtes non producit citatus juramento evadit. ibid. fol. 14.

Pro incitatione & morſu canis, ſi Actor teſtibus non probat, Citatus jurando evadit. Ibid. fol. 62.

Si Literis, ex Actis publicis quæ incendio abſumpta ſunt, depromptis, falſitas objiciatur; producens cum duobus Nobilibus poſſeſſionatis bonæ famæ, earum realitatem juramento comprobat. Ibid. fol. 247. tit. Si falſitas &c.

Citatus ignobilis ab Actore Nobili pro vituperio, juramento evadit. Ibid. fol. 275.

Dominus citatus pro ſtatuendo ſervo exceſſivo, ſi ante arreſtum fugit mettertius jurat, quia ei ad fugiendum occaſionem non dedit, nec crimini,

aut excessui per servum facto consensit. Ibid. fol. 207. tit. Si Servitor.

Viro bonæ famæ evasio juratoria defertur, cùm Actor objecta per Testes non probat. ibid. fol. 481.

Citatus pro rebus inventis, & non redditis, propior est ad jurandum, quòd nec invenit, nec habet rem perditam Actoris. Ibid. fol. 207. tit. Inventa res.

Cùm Mercator prætensum debitum literis vel testibus non probat, Citatus Nobilis jurando evadit. Ibid. fol. 273.

Pro pecore de grege amisso, juret Pastor, se illud cum alio ad villam depulisse. Ibid. fol. 290.

Processus tollitur juramentô, quòd de Citatione posita nesciverit, præstitô.

Pro complicitate baniti Citatus, juramento se purgat.

De juramentis in causa pro ioniquè extorto teloneo præstandis. vide Herb. fol. 450. & seq.

Hæredi renunciato defertur juramentum, quòd de bonis abrenunciatis nihil participavit. Jus Corr. Tit. 2. art. 5.

In quibus casibus Judæi ad juramentum admittuntur, & juramentum Judæorum videri potest apud Herb. fol. 217. & 226.

Procurator nomine Patris ad dilationem infirmitatis se recipiens, jurat quòd aliter nescit, nisi quòd Principalis verê infirmus est. Const. 1726.

In causa pro comportatione seu extraditione rerum & documentorum propior Citatus ad jurandum quia omnia bona fide comportavit, & extradidit.

Ad probandum Pars literas habens propior, & ubi utraque literis & documentis caret, Possessor rei controversæ jurat. Herb. fol. 299.

Actor pænas non incurrit, Citato, in causa honoris per juramentum evadente. Const. 1588. fol. 465. tit. o rzeczach ktore &c.

In-

invaluit, quòd à summa juramento evicta, solutio provisionum non decernatur ad Actum Decreti.

44. Propositione denique Exceptionibusque utrinque propositis, Instrumentis etiam seu Monumentis, ac Testimoniis diligenter examinatis, definitivam sententiam ex scripto proferet, Partibusque petentibus scriptam edèt; appellare etiam ab ea volentem appellare (a) permittet.

(a) *Non admittitur Appellatio Actori & Citato in causis infrascriptis, scilicet in executione rei judicatæ ad inscriptionem. exemptionum liquidarum; deductionis scrutiniorum, inquisitionum in causa summam* 3000. *floren. non excedente; in causis quarum finis est, probatio vel evasio* juratoria, *excipe si transactioni falsitas objicitur; Adhuc non admittitur Appellatio, in causa pro vulneribus. pro taxa capitis plebeji; pro extraditione Subditi; pro decimis liquidi juris. in causa injuriarum Terrestrium. pro taxa* 500. *floren. & spolio similis taxæ. vide* Const. 1670. fol. 21. tit. o Appellacyach.

Sunt etiam causæ quorum decisio Judicio Tribunalitio tantùm competit; & quæ omissâ primâ instantiâ ad Tribunal, sine metu pœnarum evocationis, trahi possunt. Quarum nonnullas hôc locô recensere juvat, scilicet. Causæ fisci & raptûs. Const. 1638. fol. 31. tit. de evocatione. *Causæ recentis criminis.* Const. 1678. fol. 10. *Causæ Nobilitatis falsò arrogatæ, & Ignobilitatis temerè objectæ.* Const. 1589. fol. 517. 1667. fol. 14. *Evocantur ad Tribunal plebeji stemmata Nobilium usurpantes; & Nobiles qui plebejos ad stemma admittunt.* Const. 1633. fol. 33. *Falsarii monetæ.* Const. 1607. fol. 839. 1611. fol. 12. *Pro iniquè extorto teloneo, & impedito libero decursu fluvii Rehda dicti, in Districtu Pucensi forum est Tribunal Petricoviense.* Const. 1667. fol. 21. *vide etiam* Const. 1601. fol. 737. tit. o clech na rzekach portowych. *Officium Castrense pro non ad-*

adimpleta sessione Turris in causa homicidii, agit in Tribunali ex Officio. Const. 1588. fol. 463. *Corrumpens corruptum rectà ad Tribunal citat. idem cum Nuntio Terrestri corrupto.* Const. 1699. fol. 35. *Depactatores in Cancellaria Actorum.* Const. 1647. fol. 38. 1726. fol. 36. *Ad Tribunal citari possunt Capitanei in Districtu in quo jus dicunt impossessionati; & qui duos Capitaneatus cum jurisdictione habent.* Const. 1562. fol. 23. 1613. fol. 33. *item Decreta Tribun. exequi nolentes.* Const. 1589. fol. 543. *Etiam in Prussia cum Palatinis exequi recusantibus forum est Tribunal.* Jus Corr. Tit. hôc art. 55. *Similiter pro non administrata justitia & cum negligentibus Officialibus, ac Judicibus gravaminosis. Pro falsificatione Actorum. Pro bonis Terrestribus, & fundis Civium per Testamentum in favorem Spiritualium alienatis, vel oneratis, forum est Tribunal.* Const. 1676. fol. 33. *Violatores securitatis Senatorum, Nuntiorum Terrestrium ibidem conveniri debent.* Const. 1667. fol. 6. *Item Violatores securitatis Judicum Deputatorum.* Const. 1670. fol. 22. *Item Milites in Criminalibus & contra Disciplinam lege præscriptam agentes* Const. 1717. *Extranei bona Terrestria in Regno vel in Prussia aut dignitates & Officia habentes ad Tribunal citantur.* Const. 1589. fol. 515. 1601. fol. 743. 1607. fol. 831. *Causæ Arianismi, Apostasiæ, Judaismi, Atheismi, Hæresis, & Fautoratûs, item Blasphemiæ, Sacrilegii, violentiæ vel obsangvinolationis in Ecclesia vel Cemiterio, notoriæque Divini Nominis læsionis ad Tribunal spectant.* vide Const. 1662. fol. 1. 1670. fol 19. 1685. fol. 20. 1726. fol. 32. *Actio pro cassandis inscriptionibus, resignationibus, & Testamentis &c. in Regno rectà ad Tribunal institui potest; etiam in Prussia vacante Judicio Terrestri. Causæ expulsionis passim ad Tribunal trahuntur.*

Actor vel Citatus, cui denegata est Appellatio, de prosequenda eadem statim protestatur. Qua protestatione ad finem Decreti connotata, Pars prosequens, Judicium ad videndum Appellationem admissibilem fuisse, do-

declarari, adcitat; Conſt. 1588. fol. 481. *Partem verò pro melioratione Decreti: quod, ſi in Tribunali immutetur, Judicis honori nihil obeſt.* Herb. fol. 209. Conſt. 1726. fol. 42. *niſi in cauſis ubi manifeſtum gravamen, partialitas & favor apparuerit.* vide Conſt. eand. *in hoc caſu Pars non modò de proſequenda appellatione, ſed & de gravamine poteſtatur.*

Judex Appellationi deferens, P*artibus terminum in quatuor ſeptimanis ad comparendum coram Tribunali præfigit.*

Etiam in Citationibus ad Tribunal extraditis, terminus quatuor ſeptimanarum aſſignatur, ſub nullitate condemnationis. Conſt. 1670. fol. 22. *qui tamen ab Actu relationis quam Miniſterialis recognovit, computando, conſtituitur. De Appellatione in acceſſorio vide* infrà art. 47.

45. Appellationes autem à Cauſis Judicii Terreſtris, antequam Judicium ex loco Judicii eadem die recedat, fient indifferenter ad Conventum generalem (a) Terrarum Pruſſiæ, vel ad Tribunal Regni, (b) quod priùs horum celebratum fuerit.

(a) *Judicia Conventûs Generalis Terrarum Pruſſiæ jam penitùs abolita eſſe, notatum.* Tit. hôc art. 6.

(b) *Nobilitas Pruſſiæ Tribunali Petricovienſi ſubmiſit ſe, ſalvo regreſſu ad Judicia Poſt-Curialia Regis. vide* Conſt. 1589. fol. 514. *Locus & dies Electionis Judicum Deputatorum* ibidem *conſtituitur. Ne Tribunal Petricovienſe in pœnis, ultra quàm in Jure Correcto & Statutis præſcribuntur, excedat, cavetur, ac ut in cauſis decidendis Juribus & conſvetudinibus Terrarum Pruſſiæ omnino inſiſtat, injungitur, vide* ibidem & Conſt. 1638. fol. 40.

Cadentia Regeſtri Terrarum P*ruſſiæ a die* 1. *Menſis Martii incipit, ad Dominicam* P*almarum continuando; ſequente tamen Anno Regeſtrum Cauſarum* P*ruſſicarum vacat, cum eodem tempore cauſæ* P*alatinatuum Breſtenſis, &* J*univladislavienſis expediuntur. vide* Conſt. 1726. fol. 35.

46. Quisquis à Judicio Terrestri appellaverit; tres Marcas Judicio deponere tenebitur: Si verò à Conventu Generali Terrarum Prussiæ, tres florenos per triginta grossos, qui, si Appellans in superiori Judicio succubuerit, in usum Judicii cedant; si causam obtinuerit, ei restituantur sub pœna.

Depositio 3. Marcarum jam non est in usu.

Vide Statutum SIGISMUNDI An. 1523. *apud* Herb. fol. 394.

47 Non modò autem ab ultimis sententiis definitivis permitti Appellatio debebit, verùm ab aliis etiam, quæcunque gravius aliquod præjudicium Parti adferre possent: ab Accessoriis (a) verò & Interlocutoriis, vim definitivæ sententiæ non habentibus, ut quæ terminum saltem aut citationem, sine ipsius Causæ amissione, proferant, aut aliàs grave aliquod præjudicium Parti non afferentibus, tum omnibus, à quibus directè in Jure hoc Appellatio remota est, nulla Appellatio admittenda est.

(a) *Ab Accessoriis quæ non important perpetuam amissionem principalis causæ, sed tantùm amissionem termini, aut libertatem à citatione appellatio non admittitur. Ab accessoriis verò lucrum vel amissionem negotii afferentibus, appellationem admitti debere, statuit* SIGISMUNDUS An. 1543. *vide* Herb. fol. 5. *idem habet* Const. An 1557. fol. 10. §. aby tym &c. 1588. fol. 481. tit. de accessoriis *&* An. 1670 fol. 21. tit. o Appellacyach.

Citatus ab Accessorio appellans, appellationem deserere non potest, Actorem nova Citatione in jus vocando. Const. 1588. tit. Prosecutio &c.

48. Si

48. Si quis ex posseſſione fundi alicujus ſive fœmi- nam, dotem in bonis aliquibus inſcriptam habentem, ſive quemcunque alium, bonorumque quorumcunque, vi aut aliò quôcunque modô expulerit, ad Officium Palatini loci duabus ſeptimanis ante Terminum Citatione poſita in jus vocatus, primum Terminum peremptorium habebit. Palatinus autem inquiſitione de expulſione cognoſcet. Ac ſi quidem ex poſſeſſione ejectum aut motum eum eſſe apparuerit, nulla de proprietate & dominio cognitione, aut ullis aliis Exceptionibus admiſſis, ſed iis ad ordinarium Judicium Terreſtre, aut forum competens rejectis nulla morâ interpoſitâ ſpoliatum priſtinæ poſſeſſioni reſtituet, Appellatione tamen directè ad Regni Tribunal ſalva inter Cauſas Officii cognoſcenda.

De ſpolio ante omnia reſtituendo.

Quomodò expulſi in bona reſtituendi, docet Statutum SIGISMUNDI An. 1543. apud Herb. fol. 364. *cum* art. præſente *conveniens: Quod, Conſtitutio* An. 1699. fol. 34. *quamvis* in toto *reaſſumat, nihilominus pro lege perpetua haberi vult; ut Cauſæ Expulſionum, in omni Judicio majoris & minoris Subſellii, à ſola duntaxat reinductione in bona incipiantur, & Expulſores pœna Turris, cum refuſione damnorum, non intrando in cognitionem jurium, & deciſionem cauſæ ſine quavis inquiſitione puniantur.* Statutum *verò ad quod* Conſtitutio *hæc provocat, jubet, ut* Officium *Caſtrenſe* ex controverſia Partium deſcendendo, in illa bona ſcrutinium ſeu inquiſitionem, à Vicinis illis bonis adjacentibus, facere, & teſtimonia ab eis, ſub onere conſcientiæ, & bona fide Nobili, à Kmethonibus autem illorum Bonorum ſub corporali juramento, *inquirat* de hac expulſione, ſi ita facta ſit, nec ne: *auditisque teſti-*

testimoniis sententiam ferat; Actorem pro damnis *ad Judicium Terrestre remittendo. Imò adhuc dilationem ad munimenta specifica idem Statutum concedit. Ultima Constitutione* An. 1726. *Grodnæ facta* fol. 46., *eadem Lex Anni* 1699. *de expulsionibus lata, approbatur, & ut* ad literam *observetur, sub nullitate Decretorum ordinatur. Abusus verò Legis hujus, sub pœnis duplicatis interdicitur.*

Causis expulsionum Regestrum seorsivum quâlibet feriâ quintâ acclamandum constituitur An. 1611. fol. 13. *Per* Constit. 1699. *Regestrum incarceratorum actu in vinculis Petricoviæ degentium, assignatum habuêre. Tandem ubi* An. 1726. *multitudo Regestrorum abrogatur, iterum seorsivum Regestrum quâlibet feriâ quartâ & quintâ, ante alias omnes causas acclamandum, causæ expulsionum sortitæ sunt.*

De Litis impensis.

49. Ad audaciam verò temerè litigantium coërcendam in Civilibus Causis victus, victore id postulante, in litis expensas semper condemnetur. Quamprimùm igitur ultima definitiva Sententia â superiore Judice prolata fuerit, aut etiam ab inferiore, si ab ea Pars non appellârit, aut appellationem postea deseruerit, victor partem victam ad Judicium vel Terrestre vel Palatinale, in utro nimirùm Causa primùm agitata fuerit, ad impensas præstandas citare poterit; quod cùm fecerit, Judicium omnes expensas in litem per victorem computatas, qualia sunt justa impendia Procuratorum, itinerum, & quæ Actoris monumentis doceri poterunt, pro conscientia sua, personarum, temporum, & causarum ratione habita; ex æquo & bono, optima fide examinabit moderabiturque. Qua æstimatione â Judice interposita, si æstimatio ea triginta Florenorum Ungaricalium valorem excedat, petitor

titor juramento ſuo corporali, quòd videlicet in litem eam cum Patre non minùs expenderit, nec expendere potuerit, æſtimationem eam confirmabit: Si valorem eum æſtimatio non exceſſerit, aut ſi exceſſerit, petitor tamen triginta Aureis contentus eſſe malit, quâm in majorem Summam juramentum præſtare quamcunque Summam à Judice æſtimatam victor vel juramento comprobàrit, vel ſi triginta Aureorum aut minori ſteterit, in eam victus in inſtanti condemnabitur, neque à moderatione hujusmodi Judicis ulli Parti, ne expenſæ expenſis augeantur, appellatio permittetur.

Perſonæ litigioſæ, perſonalibus pœnis, & refuſione litis expenſarum, merè juridicarum, prævio moderamine Judicii, ante comprobationem juratoriam Partis, puniuntur. Conſt. 1726. fol. 43. §. Zagęsciły się &c. *vide Statutum* An. 1523. *in* Herb. fol 394. & Conſt. 1565. fol. 100. o rzeczach ktore &c.

50. Si fidejuſſor litis expenſarum nomine (a) interceſſerit ad ſpecificationem, ſeu æſtimationem adcitabitur; cùmque per judicium æſtimatæ, juratumque à Parte in eas fuerit, aut ſi non majores triginta Aureis fuerint, ſine juramento ex moderatione Judicis à Parte acceptæ, fidejuſſor à judicio non recedendo ſolvere eas tenebitur, nullaque omnino dilatio, ad conveniendum ſuum Principalem, aut ad eundem ſtatuendum, ei concedetur. Quòd ſi nomine expenſarum citatus non comparuerit, quascunque in Citationem expenſas Actor poſuerit, eæ absque ulla moderatione & juramen-

to â Judice ei decerni debebunt, proque Executione rei judicatæ ad Officium competens remitti.

Vide Tit. hôc, art. 24.

51. In quacunque Causa, quæ Judicio vel superioris instantiæ, vel etiam inferioris definita fuerit, si ab ea appellatum non fuerit, aut appellationem interpositam desertam (a) fuisse, Decreto judicatum fuerit, victus Decreto Judicis satisfaciet in spacio duarum septimanarum à tempore latæ sententiæ, sub pœna quinquaginta Aureorum Ungaricorum (b) Parti præstandâ, nisi fortè talis res sit, quam secundùm Jus & obligationem suam à judicio non recedendo præstare debet: tum enim in instanti satisfacere decreto debebit. In aliis autem si intra duas septimanas Decreto non satisfecerit, per duos Nobiles & Præconem, qui in ipsa ultima sententia definitiva semper addi Parti à Judicio debent, tam ejus nomine, quod ex judicato præstare debet, quàm pœnæ quinquaginta Aureorum, Intromissio (c) in bona ejus victori detur, liberaque possessio ei tradatur, quem non priùs victor dimittere tenebitur, quàm & pro judicato & pœna satisfactum illi fuerit.

(a) *Appellatio intra annum & sex septimanas proseqvenda est.*

(b) *In causis executionis rei judicatæ Prussicis pœna* 50 *Aureorum Ungar. etiam in Judicio Tribunalitio pro contraventione decerni debet. In Causis verò simplicibus, & ex cruda citatione pœna* 3. *Marc.* Const. 1633. fol. 60. tit. o pænach. *Hinc in causis Prussicis*

non

non deberet annecti pœna 14. *Marc. de qua vide* Conſt. 1726. fol. 29. §. Luita ſimplex &c.

(c) *Pœna* 50. *Aureorum Ungar. quæ olim pro contraventione decerni ſolebat, & in qua per duos Nobiles & Miniſterialem intromiſſio in bona affectabatur, jam exolevit. Nec jam pœna* 50. *Aureorum, ſed pœna Banitionis, circa manifeſtationem, in termino ſatisfactorio, in caſu contraventionis, publicanda, interponitur. De cujus condemnationis executione. vide* infrà Tit. hôc, art. 53.

52. Si intromiſſionem in bona non admiſerit; (a) Executio rei judicatæ ad Officium Palatini loci (b) deferetur, Reusque ad Officium Palatini intra terminum duarum ſeptimanarum citabitur; in termino eo nullas dilationes, exceptiones, legalia impedimenta, appellationes, aut quaſcunque alias Exceptiones admittet, niſi poſt latum Decretum, quod executioni demandatum erat, transactionem, liberationem ſeu quietationem, vel ipſius victoris; vel ex Actis aliquibus Authenticis, ex quibus Parti ſatisfactum eſſe conſtare poſſit, oppoſuerit, vel in termino ipſo judicatum ſolvat; tum enim omninò executio ceſſabit, aut ſi contra ea nihilominus Executionem Palatinus extenderit, Appellatio Parti ad Tribunal Regni libera erit.

(a) *Citatus per Judicium Terreſtre in pœna* 50. *condemnatus, & qui intromiſſionem non admiſit, pro facienda ulteriori executione ad Officium Palatini citari ſolebat. Quod jam cum pœna* 50. *non eſt in uſu. vide* art. ſequ.

(b) *Decreta, in Terris Pruſſiæ, tantùm Palatini Terrarum Pruſſiæ & eorum Officia exequi debent. vide* Conſt. 1678. fol. 27. *vigore cujus*

Extra-Provincialia Officia prohibentur Executiones peragere, sub nullitate earundem, & pœna 500. *Marc. Nisi cùm Palatini exequi recusant, aut ordinario juris processu convicti sunt.* adde *etiam vacantibus Officiis Castrensibus Terrarum Prusiæ, ut proximè fuit.*

In quo Casu executionem denegare possunt. vide infrà Art. 55.

53. Si nihil eorum præstiterit aut docuerit, Palatinus aut Vice-Palatinus executionem realem in bonis victi faciendam decernet, intraque duas septimanas Officium ad bona Jure victi, victori autoritate brachii Regalis & Officii sui Palatinalis tradenda, mittet, simul verò etiam pœnam à Judicio interpositam commissam decernet, aliamque ipse duplo majorem, & pœnam Proscriptionis, si Executioni se opposuerit; Cujus pœna, uti prioris, itidem, nisi Executioni paruerit, dimidia pars Officio Palatinali, reliqua Victori cedet: atque ad pœnas eas dependendas terminum aliarum duarum septimanarum præfiget, in quo, nullis omninò Exceptionibus aut dilationibus admissis, ut quibus in primo Executionis termino uti Reus debuerat, eum proscribet.

Citatus (ut art. præced. *habet*) *pro facienda ulteriori executione ad Officium Palatini, cùm statim Decreto Judicii Terrestris non satisfaceret, vel ei quietationem non opponeret, in pœna* 100. *Aureorum Ungar condemnabatur, & ad capiendam possessionem bonorum in negotio principali, in pœna* 50. *Aureorum, ac pœna* 100. *Burgrabius Castrensis mittebatur. Cujus executio si impugnaretur. Citabatur Pars, ad audiendam pœnam Banitionis decerni, & publicari. Hodie verò Processus hic,* articulis præcedentibus *descriptus immuta-*

tatus videtur. Non enim pœna 50 *ſed* bannitionis (*ut ſupra ad* art. 51. *dictum eſt*) *circa Decretum, in caſu contraventionis publicandæ, interponitur. Quâ publicatâ, Officium Caſtrenſe Executionem finalem peragit; & bona, ſi executio fortiter, aut Juribus, proceſſu prioribus vel potioribus, non impugnatur. Parti Jurevincenti tradit. vide* Conſt. 1726. fol. 43. §. Exekucye Dekretow.

Sunt tamen, qui poſt bannitionem vigore Decreti Terreſtris ſive Caſtrenſis publicatam, bona tradi non poſſe, putant. Sed cùm Conſtitutionis allegatæ verba ſunt: a in re judicata za pierwſą kondemnatą *dubium id in jure fundari, non ſatis video: quandoquidem Decretum Terreſtre à quo non appellatum, vel appellatio intermiſſa eſt, tranſit in rem judicatam.*

De interſtitio poſt publicatam banitionem ſervando, antequam executio fiat. vide art. ſequ.

De proceſſu in contumaciam. vide art. 55.

54. Ita proſcriptus duodecim ſeptimanarum ſpatium habebit, â tempore Proſcriptionis computandum, intra quod cum Parte vel componere, vel ſatisfacere ei poſſit; intereaque locum in Judicio ſtandi, bona ſua vendendi, de iis diſponendi, facultatem habebit, non tamen in fraudem victoris, ſed ſatisfaciendi ei cauſa: Si interim cum victore compoſuerit, aut ei ſatisfecerit, quietatione ejus Authenticâ exhibitâ ex Cancellaria Regia, relatio bannitionis (a) dari ei debebit, illeque in integrum reſtituetur.

(a) *Sublevatio Bannitionis & proceſsûs per Tribunal approbati dari non debet.* Conſt. 1588. fol. 468. *De ſublevationibus, relaxationibus*

bus ac Literis salvi Conductûs contra Decreta non extradendis, vide Const. 1641. fol. 12. Const. 1667. fol. 6. &c.

De Citatione ad cassandam vide art. sequ.

55. Si nè intra illud quidem tempus Proscriptione modô supra demonstatô se exemerit, Palatinus ad instantiam victoris mox post duodecim septimanas, Nobilitate omnibusque bona Terrestria possidentibus in Palatinatu suo, cæterisque incolis convocatis, ad Jure victum ac proscriptum capiendum bónisque expellendum proficisci, eademque victori tradere (a) debebit. Tenebuntur autem omnes & singuli ad Executionem faciendam à Palatino legitimè evocati, (b) sub pæna quinquaginta Aureorum, ei adesse, de qua Terminum in Tribunali Regni habebunt; quam quidem Executionem Palatinus (c) & Officium ipsius si modo suprascripto facere non curaverit, primâ vice pœnâ Centum Aureorum, quinquaginta Tribunali Regni, & quinquaginta Parti committendorum, mulctabitur; secunda vice ad refusionem damnorum à Judicio moderandorum, & juramento Partis comprobandorum, condemnabitur.

(a) *Post publicatam Bannitionem vigore Decreti cui contraventum est fit executio finalis & ultimaria scilicet cum traditione Bonorum Partis citatæ. vide* supra art. 53. tit. hôc.

In causis verò, in quibus nullum adhuc Decretum prolatum est. Bona convicta in re & summa liquida ex tertia condemnatione in contumaciam super Jurevicta Parte obtenta *tradi debere, vult* Const.

Conſt. 1726. *Utrùm verò hæ Condemnationes in Judicio inferioris inſtantiæ, omnes obtineri debeant, Lex allegata non præſcribit.*

Qui verò cautè procedere volunt: ſequenti modo, proceſſum in Contumaciam citati, in omnibus terminis, diſparentis, in Judicio Terreſtri & Caſtrenſi in Pruſſia inſtituunt, & proſequuntur.

In cauſa videlicet, quæ terminum peremptorium non habet, pœnâ Contumaciæ ſuper Citato, in termino ex prima citatione, obtentâ; ad ſequentem cadentiam Judiciorum, ſecundò poſt obtentam contumaciæ pœnam, *citant; & contra non comparentem Citatum Decretum contentis citationis conveniens dictant: e. g. Si pro debito actio inſtituitur. Sic Citatum condemnant.* In Contumaciam Lucrum ſolutionis ſummæ pro qua res eſt cum proviſionibus in inſtanti ſub pœna Banitionis quæ decernitur. Miniſterialis ad publicandam additur. Et cauſa pro executione ad Palatinum Loci remittitur. *Quod Decretum (ut ſupra* Tit. hôc, art. 17. *notatum eſt) Judex infra inſcriptionem cauſæ in regeſtro annotat, ad iteratam acclamationem per Partem citatam arreſtandum. Si autem Lucrum hoc, ſeu Decretum contumaciale ante occaſum ſolis non arreſtetur. Actor interpoſitam Banitionem voce Præconis publicari facit, & poſt 12. ſeptimanas à Burgrabio Caſtrenſi vel Subdelegato jurato executionem petit. Qui convocata nomine Palatini (quamvis id circa ultimariam executionem tantùm fieri debere* articulus præſens *jubeat) Diſtrictûs illius, in quo bona Citati conſiſtunt, Nobilitate: ad bona veniens, ante portam Curiæ quam occluſam invenit, ſubſiſtit; Juriſdictioniſque ſuæ fundatione, ac Partium acclamatione demandata: duos Nobiles cum Miniſteriali ad intromittendum Actorem in bona deputat. Quam intromiſſionem Citatus non admittit, opponendo citationem ad caſſandum, vel aliud quodvis documentum. Hæc impugnatio ſive per ipſummet Citatum, ſive per ſubordinatum fiat, per Exequentem fideliter annotatur, & fit Remiſſio Cauſæ, Partium, ac Impugnatoris ad Judicium pro ulteriori cognitione.*

In

In termino itaque ex remissione ab Officio executoriali in Judicio incidenti, Actor Citatum (contra quem se inscribi curavit) acclamari facit; & in Contumaciam Decretum ulterioris executionis, *per* Palatinum *Loci, seu ejus Officium, non attentis impugnationibus peragendæ, cum publicatione Banitionis ratione impugnatæ anterioris executionis, obtinet. Nec jam expectatô* 12. *septimanarum terminô. Burgrabium vel Subdelegatum conducit; Qui præviis Literis universalibus, postquam ad Bona pervenit; easdem, quas & in primo Executionis actu, solennitates præmittit, attentaque Partis jurevictæ impugnatione ad Tribunal Petricoviense remittit, conservando terminum peremptorium.*

Ubi tandem in termino conservato, & ex Remissione, in contumaciam Citati, Decretum ultimariæ sortis, *finalis & indilatæ* executionis *Actor obtinet: Quô quidem Decretô Palatino Loci sub pœnis contra negligentes Officiales sancitis mandatur: Quatenus ultimariam executionem peragendo,* Jure*vincenti, bona jurevictæ Partis in possessionem tradat.*

Hanc itaque tertiam Condemnationem sequitur traditio bonorum, quam Officium Palatini, seu Burgrabius non attentis impugnationibus, literis salvi Conductûs, J*uriumque quorumvis oppositionibus peragit. Si tamen* J*ura aliqua, processu priora, in termino faciendæ executionis producuntur, Officium à traditione abstinet & Causam ad Tribunal remittit* Const. 1726. §. exekucye Dekretow.

Executiones ultimariæ, post latum Decretum, Citatione de noviter repertis documentis impediuntur.

Nota. *Quòd si* Executio prima *vel* secunda *impugnetur relatione Citationis pro cassanda Bannitione, ad Tribunal edita; Sic ulterior Causæ decisio per Officium executoriale ad Tribunal remittitur. Ultimaria verò Executio post latùm Decretum, vel tertiam condemnationem, Citatione ad cassandam non impeditur.*

Cita-

Citatio ad caſſandam Bannitionem, antequam 12. *ſeptimanæ poſt publicationem elabantur, exportari debet : cujus deinde relationem per Miniſterialem factam, Actor caſſandæ coram Actis perſonaliter comparens, uti juſſu, ſcitu, & mandato ſuo factam, approbat* Conſt 1616. fol. 7. & 1726. fol. 39. §. Actor caſſandæ &c.

(b) *Nobilitas ad cogendum Jurevictum Literis univerſalibus Palatini convocatur. vide* Conſt. 1726. *ubi de* impugnatione armata. *Vigore cujus Contumaces & Juri rebelles ad ſatisfaciendum Decreto manu forti cogi, atque pœnis pecuniariis, ſeſſioneque Turris per* 4. *ſeptimanas, plecti debent. Vide etiam in* Proceſſu Judic. SIGISMUNDI *apud* Herb. fol. 329.

(c) *Executionem in Terris Pruſſiæ Palatinis incumbere, notatum ad* art. 52. Tit. hôc. *Qui in facienda executione remisſi pœna* 50. *Aureorum* Hungar. *puniebantur. vide* Conſt. Terrarum Pruſſiæ inter Jura Fundam.

Ad Executionem Decretorum ante elapſas 12. *ſeptimanas Palatinus vel Ejus Officium, ſtringi non poteſt. nec ad executionem Decretorum in foro incompetenti latorum.* Conſtitutiones *Decreta in foro incompetenti lata, nullius momenti eſſe declarantes, allegantur ad* art. 4. Tit. præſen. *Executio Decretorum ſuper Perſonis, in actuali functione alicujus Officii publici, exiſtentibus, ad determinatam functionem ſuſpendi debet.*

56. Nihilominus verò proſcriptus poſt exitum duodecim ſeptimanarum, ſive à Palatino executio fiat, ſive non, vel ab ipſo victore, vel â quocunque capi, atque Officio Palatinali tradi poterit. Quod cùm factum fuerit, tam diù in turri detineri ab Officio debebit, donec cum Parte transegerit, eique ſatisfecerit.

Vide quæ ad ſequentem articulum notantur.

57. Poterit autem capi, ubicunque inventus fuerit, præterquam in domo nobilitari, in qua sine permissu Patrisfamilias neque à privato neque ab Officio ullo capi poterit. Quòd si Dominus domûs ipse permiserit, sine injuria aut damno ullo illius fieri id debebit; si non consenserit, Protestatione interposita ad Officium Palatinale citari poterit; convictus complicitatis, eidem pænæ subjacebit, cui Proscriptus ipse subjectus fuit.

Cum Articulo præsente & præcedente convenit Constit. An 1588. fol. 466. tit. o imaniu. *ita ut per Officium, itidem per Jurevincentem quoque capi, & ad Officium tradi possit, ac debeat.*

58. Atque hic quidem Processus contra possessionatos servabitur: Si impossessionatus Jure victus fuerit, si quidem Fidejussor intervenit, possessionatusque is sit, in eum Executio modò supra scriptô extendetur: Si neque Reus neque Fidejussor possessionati sint ad summum intra duas septimanas aut judicatum solvere debebunt, aut Fidejussores possessionatos statuere de satisfaciendo rei judicatæ intra sex septimanas; quorum si neutrum fecerint, ad Officium Palatinale ad proscribendum citari poterunt, ac sive in termino steterint, sive non, à Palatino proscribi debebunt; cum proscripto eôdem modô procedi, quemadmodùm cum possessionato proscripto, ut captus tàm diu nimirum sedeat, donec Parti satisfaciat: Receptator etiam ejus, Jure receptionis ejus convictus, eàdem pœna condemnetur.

Idem habet Constitutio An. 1588. fol. 465. tit. de impossessionatis. *cui propter congruentiam articulus præsens Juris correcti innititur.*

59. Si

59. Si quis, Causâ in Judicio institutâ, aut etiam Parte citatâ, eandem intra annum & sex septimanas non prosequatur, (a) Causa cadet, eámque Præscriptione amittet: Similiter, si decretum in negotio principali obtinuerit, aut etiam ad Executionem rei judicatæ processerit, illamq; intra annum & sex menses, non Magistratûs, sed suâ negligentiâ, non prosecutus fuerit, Decretum id Causamque totam commemorati temporis Præscriptione amittet, neque iterum suscitare aut revocare in Judicium Causam eam poterit.

(a) *Vide* Herb. fol. 7. tit. Actor causam &c. & sequ. tit. Actor reo &c.

60. Quòd si etiam fortè Citatum se à Parte aliqua quis diceret, Citationemque ejus ad Præscriptionem objiciendam proferret; Pars autem, à qua Citatio profecta dicetur; suo scitu vel jussu eam traditam negaret, Juramento corporali de ignoratione sua præstito, Præscriptione removeri non poterit.

TITULUS VII.
DE
FINIBUS REGUNDIS.

I.

QUi Jure regere fines voluerit, ad Judicium Terrestre duabus septimanis ante Terminum Citatione insi-

insinuata vocare Vicinum Vicinosve debet, atque æstimationem quidem in Citatione nullam ponere, sed tantummodò ad decernendum sibi ductum, sequente aut simili forma citare.

In causa pro finibus regundis etiam in Regno ad Judicium Terreste instituitur actio, à quo demum tam cum principaliter Citato, quàm cum Collateralibus Causa ad campum remittitur Judiciô Succammerarii vel Ejus Officii finaliter decidenda. vide Herb. fol. 437. tit. Si citatus nec &c. *&* Const. 1670. fol. 21. tit. o Appellacyach.

Succamerarius in Regno, quem Nobilitas eligit, juratus est. Const. An. 1588. f. 460. etiam *Cammerarii Ejus.* Const An. 1569 fol. 191. *Acta Granicialia habet ut* Constit. An. 1641. fol. 29. *&* An. 1667. fol. 28. *probant.*

Processus inter Possessores Bonorum in Polonia & Prussia sitorum, si aliquando controversia de limitibus accideret, ordinatur. Const. An. 1601 fol. 740. tit. o sposobie rozgraniczenia &c.

2. Qui te citat ad constituendos limites inter bona sua hæreditaria villæ N. ab unà, & tua itidem hæreditaria villæ N. ab altera partibus, ad videndum audiendumque sibi Actori ductum decerni, vigore præsentis Citationis, ad quam judicialiter respondebis. Datum, &c.

3. Alii etiam vicini, qui contiguas cum bonis iis, inter quæ Judicium Finium intercedit, possessiones habuerint, atque alia ratione negotium illud eos artigerit, ad eundem Terminum unà cum Principali, sequenti aut simili forma citationis vocari debebunt.

Idem habet Statutum, vide Herb. fol. 437. tit. contra Vicinos &c.

Pa-

Parochi subditos & prædia exdivisa non habentes, sed tantùm in decimis & pensionibus fundati, in causis graniciorum cum hæredibus se ingerere non debent. Const. An. 1607. fol. 835. tit. Duchowni w koronie.

4. Citat vos ad demonstrandum parietem vestrum, si quem vos habere prætenditis villæ suæ hæreditati ipsius N. contiguum, quæ bona sua hæreditaria commemoratus N. secernere & dislimitari vult, limitibus signisque metalibus cum bonis N. Nobilis N. hæreditariis, ad quos limites constituendos citavit commemoratum N. tanquam principalem, & vos adcitat tanquam Collaterales, ut ductum sibi Actori agnoscatis, vel eundem ductum Judicio contra commemoratum Principalem, & vos tanquam Collaterales, sibi decerni audiatis, ad præmissa judicialiter responsuri.

5. Si Citatus in primo Termino non comparuerit, simplicis contumaciæ tantùm condemnetur.

Idem habet Statutum ad art. 1. *allegatum.*

6. Si nè in secundo quidem Termino peremptorio comparuerit, ductus Actori decernatur, & in campum mittatur.

In Regno obtentâ Contumaciâ in secundò termino, causa per Judicium Terrestre ad campum seu Succamerarium cum adjudicatione actoratûs remittitur.

7. Quô Decretô interpositô, Judex cum duobus Scabinis à Judicio ad id deputatis, in campum cum Actore ad ductum ejus exequendum descendet; vel si Judex ob valetudinem, vel aliqua alia impedimenta, adesse

ſe non poſſit , Scabinus prior vel ſequens vices ejus obibit.

8. Priùs autem ſequente aut ſimili forma innoteſcentiæ quatuor ſeptimanarum termino præſtituto, Reum ad Executionem citabunt:

9. Mandamus tibi, ut coram nobis, tanquam à Judicio Deputatis feriâ ſecundâ poſt feſtum S. N. nunc inſtans proximâ, in loco campeſtri, inter bona hæreditaria Nobilis N. dicta N. & tua itidem hæreditaria dicta N. in quo videlicet commemoratus N. Actor Nos collocabit, compareas ad attentandum & videndum, nos ab ipſo duci, juxtaque ductum eum fines & limites ab illo regi & conſtitui ſcopulis excitatis, aliisque ſignis metalibus conſtitutis, Juramentumque ab eo & Teſtibus præſtari tanquam Actore, in veram & juſtam conſtitutionem limitum ductumque, quemadmodum commemoratum ductum in Judicio Terreſtri, in terminis præteritis, contra te obtinuit; ad quam Executionem ejus à Judicio Terreſtri deputati ſumus, præmiſſa judicialiter attentaturus.

10. Eadem ferè forma juxta modum ſuperiùs deſcriptum Collaterales etiam adcitabuntur.

11. In termino hoc Actor ducet judicium pro arbitrio conſcientiaque ſua: Deputati verò à Judicio, itidem pro conſcientia & Juramento ſuo, vel approbabunt ductum, vel, ſi nimis modum æquitatis Actorem excedere, ex atteſtationibus atque monumentis animadverterint,

terint, moderabuntur, limitesque ſcopulis excitatis, aliisque ſignis metalibus conſtituent, Appellatione, (a) ad ſuperius Judicium utrique Parti ſalva relicta.

(a) *A Remiſſione ad campum quæ per Judicium Terreſtre, in Regno, fieri debet, Appellatio non admittitur; ſed à definitiva ſententia Succamerarii vel ejus Officii admitti debet, vide* Conſt. 1670. *quæ ad* art. 1. *allegatur.*

12. Ductu finito circa finalem & acialem ſcopulum jurabit Actor Actoresve cum Subditis, quos Deputati à Judicio delegerint, in veram & juſtam limitationem, quodque nihil ſoli proprietatisve ipſius, Citato ademerit, aut ab illo alienârit.

Vide Statutum in Herb. fol. 439 tit. Porrò ſi condemnatus &c. *ubi circa ultimum & acialem ſcopulum Actor jurat cum Teſtibus, non obſtante abſentia Citati.*

13. Quòd ſi in Termino eo Citatus Citative in rem præſentem non venerint, contumaceſve fuerint, nihilominus Judicium tenebitur Actorem ſequi, fineſque ſecundùm ductum ipſius regere, ita nimirum, ut non obſtante abſentia Citati; in ipſius Judicii præſentia nihilominus Actor, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, circa ultimum & acialem ſcopulum, ſupra commemoratum juramentum præſtet. Qui quidem limites eô, quô demonſtratum eſt, modô conſtituti, & juramentô Actoris confirmati, durabunt & ſervabuntur.

14. Si ex conſenſu vel controverſiâ Partium, in rem præſentem remiſſio fiet, Citatio talis edetur:

15.

15. Nos N. N. Judex & Scabini â Judicio N. delegati, tibi Nobili N. hæredi in N. Regio & Officii nostri vigore mandamus, ut coram Nobis in loco campestri finitimo inter bona hæreditaria N. Nobilis N. in N. tanquam Actoris ab una, & tua itidem hæreditaria N. ab altera partibus, feriâ N. post festum N. ad instantiam præfati N. Actoris personaliter & peremptoriè compareas, qui te citat in campum & rem præsentem, ex remissione Judicii Terrestris ad Nos, ad limites inter bona N. ipsius Actoris hæreditaria, & N. bona itidem hæreditaria tua, constituendos, atque audiendum & videndum, alterutri vestrûm, aut alioqui ipsi Actori ductum decerni, juxta Citationem ipsius Actoris, remissionemque Judicii Terrestris, secundùmque limitationem commemoratam bonorum, quam judicialiter attentabis.

16. Simili ferè Citatione, verbis ad rem & personas eorum accommodatis, Collaterales adcitabuntur.

17. Quòd si Citatus in aliquo horum termino, aliquo legali impedimento retentus, aut etiam Citationis ignoratione non comparuerit, eódem modô de restitutione in integrum agere, legaleque impedimentum, aut ignorantiam probare, tandemque restitutionem obtinere poterit.

In causa ad campum remissa, Citatus infirmitate se excusare potest, & Dilationem pro majori petere. Herb. fol. 439.

18. Cùm in rem præsentem ventum fuerit, Judicium ad limites constituendos delegatum, ei, qui evidentiora signa demonstrabit, ductum adjudicabit. 19.

19. Itaque ſi alteruter ex litigantibus, vel certa literarum documenta, vel ad minus tres ſcopulos, ſeu tumulos, aggeres, ſignave notabilia in campo, in ſylvis verò cruces in arboribus legitimè limitum causâ inciſas, & teſtimonio (a) ſufficienti comprobatas, aliaque probabilia limitum indicia demonſtrârit, ſub conſcientia ſua ei ductum adjudicabunt. Si utraque Pars ſigna ſua habeat, ei, qui plura & notabiliora; ſi neutra, tum ſi quis fluvius aut rivus (b) utramque poſſeſſionem diſtinguat, naturalis inter eas limes erit, utque pro limite obſervetur, decernent. Qui quidem fluvius ſive rivus ſi naturaliter ſine ullo hominis miniſterio alveum commutârit, aliove meatum ſuum diverterit, nihilominus primævus alveus, per quem ante aqua decurrit, verus limes hæreditatum illarum erit.

(a) *Teſtes in cauſa limitum quàmvis nobiles ſint, jurati eſſe debent, ſub nullitate teſtimonii.* Conſt. 1670. fol. 29.

(b) *Vide Statutum* CASIMIRI M. *apud* Herb. fol. 439. *cum* hoc art. *conveniens.*

20. Si neutra Pars ſigna notabiliora habeat, neque rivus aliquis aut fluvius intercedat. Qui ad minimum per decennium in pacifica poſſeſſione ſe fuiſſe docere poterit, ei ductus decernetur; Si nè de poſſeſſione quidem conſtare poſſit, à Judicio Deputati, pro conſcientia ſua, vel Actorem vel Citatum, moderatione adhibita, ad ductum & juramentum, ſi neceſſarium judicaverint, quemadmodum ſtatutum eſt, admittent.

In Regno, ubi utraque Pars ſignis notabilibus inter hæreditates caret; Actor ad probationem limitum cum Teſtibus admittitur. Herb. fol. 440. tit. Præterea cum &c.

21. Si forte contra hæc Judicium ad limitationem deputatum aliquid decreverit, Parti gravatam ſe exiſtimanti ad Conſiliarios Terrarum Pruſſiæ, (a) vel Tribunal Regni, indifferenter

appellare (b) liberum erit: Unde deinde ad illud idem Judicium pro Executione remittetur.

(a) *De Appellationibus quòd jam ad Tribunal Petricoviense tantùm fiant, vide* tit. præced. art. 6. & 45.

(b) *Vide supra* Tit. hôc, art. 11.

22. Limites ita constitutos, tùm totius ductûs seriem scriptam & consignatam Partibus postulantibus idem Judicium edet. Præterea verò ad perpetuam rei memoriam in terminis Terrestribus in Acta Terrestria referendam Pars alterutra curabit.

In Regno Succamerarius Acta granicialia habet ut art. 1. *notatum. Vide* Herb. fol. 441. tit. Postremò.

23. A singulis integris bonorum limitationibus, tot nimirum, quot fecerint, etsi uno die plures fecerint, ultra alimenta quinque florenos Pars, quæ ductum obtinuerit, Judicio, seu, qui à Judicio deputati fuerint, dare tenebitur.

Succamerarii cum Cammerariis non plus quàm 3. *Marcas pro graniciebus limitatis accipiunt.* Herb. fol. 441. tit. sed jam &c.

24. Si quis tumulos vel veteris vel nuper judicialiter constitutos, vel alia signa metalia, seu integra, vel ex parte aliqua disjecerit, exciderit, corruperitve, terminum in Judicio Terrestri habebit. Ex Actoris & Citati controversiis, absque quavis mora & dilatione de medio sui duos Scabinos ad indagandam rei veritatem, Partibus termino constituto, in campum mittet. Et si compertum sit, limitem temerè violatum corruptumve esse, ibidem in instanti præsentibus Scabinis violatum limitem Citatus restaurabit. Ratione verò pœnæ quinquaginta Aureorum in Judicio Terrestri in primis terminis terrestribus conservatum terminum peremptorium habebit.

25. Iisdem pœnis tenebitur, qui privatim sine authoritate Judicii limites signaque aliqua limitanea erexerit, constituerit, feceritve. Quarum pœnarum nomine eôdem omnino modô, quem-

quemadmodum contra legitimi termini motorem, contra eum procedetur.

Si plures unius possessionis Domini fuerint, interque eos minorennes aliqui essent, nihilominùs æquè Judicium ad limitationem procedat, minorennitate aliquorum non obstante.

Idem statuit SIGISMUNDUS An. 1523. *Reservatur tamen Minorennibus, cùm ad annos discretionis venerint, Actio cum illis, à quibus sibi prajudicatum fuisse suspicantur, non nisi tamen pro sorte & interesse eorum. vide* Herb. fol. 261.

Contractibus, Vinculis, devolutionibus, successionibus, & bonis, quæ ex vinculis matrimoniorum cuiq; obvenerunt, & hactenus sunt vetere consuetudine firmata, salvis manentibus: Nec leges nunc susceptæ ad præsentia & præterita, sed ad futura tantùm negotia, quæ post publicationem præsentis Constitutionis in sex septimanis emergent, se extendere & roburtum demùm habere debent.

LAUDUM SREDENSE.

In Conventu Generali Palatinatuum Posnaniensis & Calissiensis die 16. *Mensis Decembris Anno* 1632. *sancitum Constitutione Regni* 1633. *approbatum.*

DE SUBDITIS PROFUGIS.


Nos Consiliarii & Equites Palatinatûs Posnaniens. & Kalissiens. in moderno Conventu Szredens. pro die 16. Mens. Decemb. Anno præsent. 1632. congregati, perpendentes magnam desolationem & destructionem villarum nostrarum Nobilium, Ecclesiasticarum & Regiarum, quæ indè suboritur, quod Subditi à Dominis suis hæreditariis aufugiunt, & ex Villa in Villam, ex Civitate in Civitatem migrando vagantur, neque se annuis Servitiis adjicere volunt, sed aliqui illorum Cubiculum apud Rusticos incolunt, aut in

diem

diem aut ſeptimanam ſaltem ſe locant, alii tugurio aut horto à Dominis in annum accepto, ubi per Annum, aliquandò etiam breviùs, ibidem habitaverunt, in alias Villas migrant, alioque nullibi fixa domicilia habent, undè Villæ deſolantur, Subditique depauperantur. Ideò Nos occurrendo huic deſolationi laudamus, & vigore præſentis Conventûs ordinamus, ut ejusmodi homines vagabundi tam mares quàm fœminæ, qui in una Villa per Annum & diutiùs habitârunt, ad alias Villas absque voluntate & conſenſu illius Domini, ſub quo per Annum vitam degerunt, ſe non transferant, imò verò, ut quilibet Dominus & Poſſeſſor tales retinere poſſit, neque iisdem, ut aliò ſe conferant, permittat, & ſi forte aliquis horum fuga ſe ſubducat, hunc talem nemo ad Villas ſuas aut oppida recipere debeat, quinimò eundem Domino ſuo extradere teneatur, ſub pœna Ducentarum Marcarum pecun. Polon. quo nomine Forum habebit in Judicio Caſtren. ſine appellatione. Dominis tamen hæreditariis liberum ſemper erit, nativos ſuos Subditos proprios repetere, ſecundùm Jura antiqua. Quòd verò Civitates & Oppida concernit, inhærentes Conſtitutioni Anni 1593. de Vagabundis ſancitæ, ordinamus, ut nullus Civitatenſis tales homines vagabundos, annuis Servitiis non addictos fovere præſumat, ſub pœna eadem 200. Marc. ad inſtantiam cujuscunque in Judicio Caſtren. ſub pœna bannitionis decernenda: Imò verò tales omnes unicuique Nobili, vigore ejusdem Conſtitutionis Anni 1593. comprehendere, comprehenſis catenas injicere, & ad labores ſtringere liberum erit, in quo Magiſtratus Civitatenſes neminem impedire debent, ſub eadem pœna & Foro. Interà tamen circà perſonas liberas & opifices longo jam tempore in Civitatibus, Oppidis & Villis habitantes, neq; cum vagabundis & erronibus commercium habentes, easdem Civitates Oppida & Villas conſervatas eſſe volumus. Hi vagabundi & errones agrarias ſibi impoſitas ſolvere tenebuntur. Laudumque hoc ad omnia bona Regalia, Spiritualia & Sæcularia ſe extendet. Adamus Albertus Przyiemski, Metator Caſtror. Regni Mareſchallus præſen. Conventûs Srzeden.

Laudum hoc Conſtitutione Regni An. 1633. ***approbatum, etiam ad Terras Pruſſiæ, Proteſtantibus Civitatibus extenditur.***

FINIS.






Stadt-
bücherei
Elbing

